
B. N. C.
FIRENZE
7 0 0
2



Digitized by Google

700 . 2

Digitized by Google

700-25 AL 2

JOH. JOACHIM. ZENTGRAVII

ORIGINES JURIS NATURALIS

Secundum Diſciplinam Chriſtianorum ad Gentilium captum,

Vindicatæ

contra

SPICILEG. CONTROVERSIARUM

Celeberrimi

DN. SAMUEL. PUFENDORFII:

Cum Appendice

Contra

Clariſſimum Virum,

DN. SAMUEL. STRIMESIUM,

Prof. Francof. Viadrin.

ARGENTORATI

Impenſis GEORGII ANDREÆ DOLHOPFII,

Anno 1681.

BIBLIOTECA NAZIONALE FIRENZE 1872

VIRO

Magnifico, Nobiliſſimo & Conſultiſſimo,

DOMINO

JOHANNI PHILIPPO SCHEFFERO,

J.U.D. EXCELLENTISSIMO, SERENISS. DUCIS WÜRTENBERGICI; ILLUSTRISSIMI ITEM SYLVÆ, RHENI, ET SALMÆ COMITIS; UT ET REIPUBLICÆ ESLINGANÆ CONSILIARIO,

Perennem precor felicitatem!

VIndicias has ut Tuo conſecrarem Nomini, à me impetrarunt Tuus erga me benevolentiſſimus affectus, Tuaque Eruditio. Iſtum enim ut quanti æſtimarem conteſtarer, publico id fieri monumento non inconveniens

judicabam, cum Fautorum & Amicorum dignitas etiam inter alios celebrari mereatur. Quanquam & Amici nomen ex ſe ita ſit amabile, ut ab eo patrocinium aliquod tale ſcripti genus, quale hoc eſt, cui Magnificum Tuum nomen præſcribere placuit, ſibi polliceri non dubitet. Tuæ autem inprimis ſingulari eruditioni, cum in aliis, tum his in literis Practicis excellenti, has vindicias ſubjicere debui, ut quid circa quæſtiones, quæ cum *Celeberrimo Viro*, qui meam Diſquiſitionem de Origine J. N. impugnatum ivit, mihi intercedũt, à me ſit præſtitum, dijudicaretur à Viro, cui neque ingenium, neque doctrina ad hoc faciendum neceſſaria deeſt. Et cum accuratius philoſophandi genus Tibi ſemper cordi fuerit, non ingratam hinc tibi quoq; futuram confido hanc de Origine moralitatis & J.

N. diſ-

N. diſputationem: cum his in controverſiis de ratione veritatis hujus Juris, quod univerſum genus humanum nexu reciproco conſociat, ipſe ſis exercitatiſſimus. Contentiones equidem non amo, cum aliis laboribus tempus ſciam tribuere; obtrectatione autem nominis alieni velle inclareſcere plane infrunitum cenſeo; male tamen excepta, quæ in neminis injuriam, aut veri ſtudio, quod in libera Philoſophorum civitate omnino probare decet, ſcripta ſunt, vindicare & recte interpretari omnino me teneri arbitror. Fruſtra proin quis à me ſæpius repetitas vindiciarum vindicias expectaverit; cum mentem ſuam clare explicaſſe, theſinque ſuam ſolide probaſſe, & ab objectionibus quæ ſpeciem aliquam veri præ ſe ferunt liberaſſe, cordatis & eruditis ſufficere exiſtimem. Abire enim ſolent

plerumq; ejuſmodi litigia in cavillationes, convitia, & moleſtam dudum protritarum quæſtionum repetitionem. Benevola itaque excipe fronte hanc pro mea de Origine, Veritate & immutabili rectitudine Juris Naturalis diſquiſitione ſcriptam Apologiam. Conſervet Te Deus Ter Opt. Max. in ſpem melioris ſeculi ſalvum & incolumem! Vale.

Magnific. Nobiliſs. & Ampliſs.

Scrib. Argent. die 27.
Aug. 1681.

T. Nominis

Cultor addictiſſimus

Joh. Joachimus Zentgravius.

Cordato & Erudito Lectori

εὐπράττειν.

QUintus jam agitur annus, ex quo de *Origine, veritate & immutabili rectitudine Iuris naturalis ſecundum diſciplinam Chriſtianorum, ad captum tamen Gentilium*, hoc eſt Philoſophice, colloquii Academici ergo nonnulla meditari incepi. Etſi vero hoc facto me manifeſtaturum eſſe probe videram, mihi non eundem per omnia animi ſenſum cum aliis Eruditis viris circa has quæſtiones intercedere, liberam tamen quod Philoſophorum civitatem libera quoque ſuffragia admittere ſciebam, cordate citra perſonæ injuriam mihi diſputare licere credidi. Nunquam non enim infrunitum iſtud diſſentiendi genus odio habui, quo Viros, quorum eximia extant in rem literariam merita, quibusque laudabili conatu illam promovere curæ cordique eſt, quando humani quid illis accidit, conviciis proſcindere ſolent; memor & me hominem eſſe. Nec illud ſperandum ego puto inter mortales eſſe ſeculum, quo omnis lis circa motas

controverſias perorata dici poterit. Hac mentecum animum ad ſcribendum applicarem, ſic theſin meam tractandam eſſe duxi, ut ſolidis rationibus munitam non uni tantum adverſario & contradicenti opponerem, & cum erroris ſit multiplex facies, nihil cum illo ei commercii, ſive ſub hac, ſive alia appareat forma, intercedere una oſtenderem: unde factum eſt, ut paſſim additæ limitationes jam his, jam illis diverſum ſentientibus obſtruant. Neminem vero ego puto uſque eo in Philoſophia Morali eſſe hoſpitem, quin ſciat, circa originem, veritatem & immutabilem rectitudinem J. N. explicandam, doctiſſimos quosque viros in diverſas abire ſententias, ex quibus cuilibet illam ſequi licet, quam præ cæteris veram eſſe ſibi perſuaſum habet. Cæterum cum Lectori idem viciſſim, quod autori de aliis, permiſſum eſſe debet de ſcripto judicium; eximia hujus virtus recte *a* dicitur, accurate *quid in controverſia proprie ſit* conſiderare, contra quem item, & qua ratione aliquid dicatur, placide diſpicere, ne cum propria luctari umbra cenſor incautus & præceps neceſſe habeat Et hoc eſt quod in viro celeberrimo, DN. SAMUEL. PUFENDORFIO, omni jure deſidero. Me operæ pretium facturum eſſe exiſtimabam, ſi craſſum illorum

a *Pufendorf. Spic. p. 4.*

rum Indifferentiſmum, qui à libero Dei beneplacito diſcrimen naturale honeſtorum & turpium ſuſpendunt, irem profligatum, aliasque huc pertinentes tractarem quæſtiones, tam à Scholaſticis quam ab aliis viris doctis motas. Facere mihi licere hoc credebam jam ex occaſione, jam ex inſtituto; jam ſententiæ tantum, jam etiam autoris facta mentione; quæ eo melius ſæpe numero omitti poterat, quod alias in *diſquiſitione* autores ſententiarum, contra quas meam munire theſin laborabam, infruniti potiſſimum Indifferentiſmi, allegaſſem, ſecutus a Dn. *Pufendorfii* exemplum, qui in Præfatione præmiſſa Elementis Jurisprudentiæ univerſalis, *Grotium* & *Hobbium velut in univerſum allegans, in ipſo opere, quoties eorundem expreſſa fuit ſententia, ipſos nominare ſuperſedit.* Verum enimvero cum Indifferentiſmum canentes tibias inflare primo *Pufendorfius* ab aliis arguebatur, iſtam litem me meam velle facere inique ſuſpicatus, in ſe dici credidit, quæ contra *Vaſquium*, *Radam*, *Caramuelem*, *Szydlovium*, *Rhatorfortem*, *Twiſſum*, aliosque, jam facta, jam omiſſa mentione autoris; jam ex inſtituto, jam ex occaſione; jam theſeos muniendæ, limitandæ, jam antitheſeos oppugnandæ gratia; jam etiam ex alia cauſa, ſolvendorum ſc. in gratiam

 audi-

a *Præfat. Elem. Jurispr.*

auditorum, quibus iſtæ diſſertationes ſcribebantur, dubiorum ergo, ut in Diſſertationibus Academicis fieri amat, diſputata ſunt. Tantum autem abeſt, ut hanc quæſtionem tractans ad *Puſendorſium* reſpexerim, ut illum potius ab Indifferentiſmo iſtorum meoquidem judicio abſolutum *Vaſquio* etiam oppoſuerim, eundemq; recte oppugnare dixerim, uti & quæ ſequuntur docent Vindiciæ. Potiſſima quæ cum Viro Doctiſſimo mihi controverſia intercedit eſt de origine moralitatis; & num veritas moralium ſe antecedenter, an vero conſequenter ad divinam voluntatem habeat: hoc eſt, an v. c. unicuique ſuum tribuere ſit juſtum & rectum, quia Deus ita præciſe voluit; an vero quia juſtum & rectum, Deus ita quoque præceperit? Ubi ſi quæ eſt, quanquam eam nondum videam, lubens confiteor culpā, quod Puſendorſianam ſententiam, etſi non ſine ratione, honeſte & modeſte, pro Academica omnibusque bonis probata diſſentiendi libertate, prior perſtrinxerim. Non ægre hoc laturum eſſe Virum initio inde conjiciebam, cum quod citra detrahendi ſtudium, à quo longiſſime abſum, ratione contendere in mentem induxerim; tum quod ipſe *a inter illud genus hominum ſuum profiteri nomen nolit*, qui *ſtatim in odium & iras efferveſcunt*,

a *Præf. de. J. N. G. Apol. p.* 64. *Epiſt. ad Scherz.*

ſcunt, ſi ſua omnia velut ex tripode dicta non adorentur; provocaveritque etiam ad honeſtam diſquiſitionem *à ſe traditorum*, quibus ſecum in arenam deſcendere placuerit; denique quod libertatem quam in alios ſibi ſumſerat, aliis quoque in ſua permiſſurum exiſtimaverim. Confutaverat quippe & ille paſſim Dn. D. *Zieglerum*, & B. noſtrum *Bæclerum*. Verum neque Witteberga, neque Argentoratum ei bellum hoc nomine indixit, etſi rationes quibus hi viri defendi queant, non deſint. Sed fefellit me mea mens, cum humanitatis verba expectans, eandem vehementiã, quam iniqua peperit ſuſpicio, quaq; in alios invectus eſt, in me quoq; expertus fuerim. Accedit, quod quæ Vir doctiſ. mihi objecerat diſtinctius cognoſcens, ab eo theſin propriam non ſolum defendi, ſed & quæ in meo tractatu habentur illi minus probata cenſeri, &, irrito licet ſucceſſu, examinari notaverim, ita ut non defenſorem tantũ, ſed & aggreſſorem egerit. Quanquam vero per convitia & calumnias adverſarii alicujus nunquam à defendenda veritate me revocari paſſurus ſim, cum tali cacodæmonis furori cedere Chriſtiano homine, cui mens recti conſcia eſt, indignum cenſeam; fateor tamen, me provocatum licet, a animum haſce adornandi vindicias ab initio nõ habu-

a *Syn. p. 74.*

habuiſſe, ſcriptaque ad *Amicum* exeunte Octobri elapſi ſuperioris anni epiſtola, fontes ſolutionum illorum quæ à Dn. *Puſendorf.* objiciuntur oſtendiſſe, ſufficere duxiſſe, quam ille etiam publici juris jam pridem feciſſet, ſi per me licuiſſet. Ubi tamen Lipſienſis Academiæ Rectorem Magnificum Dn. D. *Valentin. Alberti* notis Apologeticis ſe vindicaſſe vidi, mea quoque intereſſe cenſui, à me circa Jus Naturæ in neminis injuriam diſputata ab iniquitate & objectionibus, quibus ea Dn. *Puſendorf.* conſtringere voluit, liberari. Feci hoc modeſte, ut inter Conſanguineos fidei decet, eruditoque ſeculo probata & plane honeſta ſcribendi ratione, qui id dedi operam, ne verbum excideret, quo jure Vir Doctiſs. offendi poſſet, par pari minime referens, etſi peccatum originis ubique detur, cum à tali diſceptandi genere, quo victor pejor & infelicior victo habetur, plane alienus ſim, obſirmato contra quemvis furorem animo. Primaria quæſtio eſt, uti dicere incepi [a], de *Origine Moralitatis*, quæ controverſia ſecunda prolixius etiam explicatur, quam exemplis Mathematicis illuſtrare præprimis volui, quod hæc ſint perſpicua, eademque exiſtat ratio veritatis rerum Moralium in ſe & ſua natura talium, quæ veritatis eſt Mathematicæ, cum uti eo ipſo quo aliquid

a *Puſendorf. Specim. p.* 164.

aliquid exiſtit unum eſt, ita eo ipſo quo aliquid eſt homo, ſit animal rationale; & uti unum, unum, unum, & unum compendii cauſam appellamus quatuor, ita animal rationale uno nomine vocatur homo; & cum rapina divinæ gloriæ contumelioſa de Deo loqui, dicitur blaſphemia. Imo uti ex uno, uno, uno & uno conſurgit quaternitas, ita ex illis requiſitis & conditionibus, de quibus in Diſquiſitione Art.VII. fuit actum, exoriturMoralitas;& iſta requiſita in illa conjunctione ſpectata dicuntur Moralitas, conjunctaque animalitati rationalitas dicitur Humanitas, vel ſi mavis homo, uti unum, unum, unum & unum conjunctim accepta dicuntur quaternitas. Unde ſicut veritas Mathematica qua talis ſe habet ad divinam voluntatem antecedenter, ita & veritas moralis qua talis, ſalvo interim diſcrimine, quod ex parte materiæ intercedit. Uſum quem hæc quæſtio habet in graviſſimis circa divinam Providentiam controverſiis, quæ noſtratibus cum Reformatis intercedunt, & quæ de Neceſſitate Satisfactionis Chriſti contra Socinianos diſputantur, illi æſtimare norunt, quibus iſtarum controverſiarum ſtatus altius eſt perſpectus, quique quæ ab adverſariis hic reponi & objici viciſſim ſolent, non ignorant; quæ prolixius hoc loco explicare inſtituti ratio permittere non videtur.

Reli-

Reliquæ quæſtiones paucis ſunt diſcuſſæ, quod illarum veritas explicationem potius perſpicuam, quam prolixe inſtitutam defenſionem deſiderare videatur, citra animum cavillandi, cujus turpitudinem in illos qui Moralia docent minime cadere decet,. Denique Appendicis loco ſubjeci vindicias *contra Clariſſ. Dn. Samuelem Strimeſium, Prof. Francof. Viadrin.* qui pro ea quæ inter Philoſophos datur libertate, quamque & mihi concedi viciſſim poſtulo, ſententiam meam de *Valore Morali*, num Moralitatem in genere ſpectatam formaliter conſtituat, impugnatum ivit, me non invito; cui proin ut mea reſponderet humanitas æquum erat, cum ſimili erga me fuerit uſus humanitate, fidei licet meæ conſanguineus non ſit. Tuum jam erit, benevole Lector, judicare, quid hic à me ex vero ſit præſtitum, non quid cavillandi libido confundere, & pervertere poſſit. Nullus enim tam feliciter procedere poteſt commentarius, qui non huic obnoxius eſſe injuriæ queat, à qua ne ipſæ ſacræ literæ liberæ ſunt. Benè *Seneca* Qq. Nat. l. 4. c. 5. *Pauca admodum ſunt ſine adverſario. Cætera etiamſi vincunt, litigant.* Obſervabis autem in præcipua controverſia, quæ de Origine Moralitatis inſtituta eſt, ventilanda, eo deſcendiſſe Dn. Adverſarium

meum,

meum, u' theſeos ſuæ ſalvandæ cauſa propoſitionem hanc æternæ veritatis: *Homo eſt animal rationale*, veram eſſe negatum iverit, ſi Deus Hominem nunquam creare decreviſſet; & quod tota tandem diſputatio loco ſolidæ Reſponſionis ſarcaſmo finiatur: id quod pro bonitate cauſæ meæ non parum facere mihi perſuaſum habeo. Quare uti de Tua Æquitate & Eruditione, cordate Lector, benevolum mihi judicium polliceor, ita fave ulterius, atque vale!

SYLLA-

SYLLABUS CONTROVERSIARUM.

I. *An, & quomodo doctrina Iuris Naturalis ſecundum diſciplinam Chriſtianorum tradi poſſit?* p.6.
II *De Origine Moralitatis & Legis naturalis.* 14.
III. *Quæ ſit ratio formalis actionis moralis?* 63.
IV. *De Indifferentiſmo actionum moralium.* 65.
V. *De Socialitate, an ſit I. N. fundamentum?* 76.
VI. *De Conformatione creaturæ rationalis cum Deo.* 93
VII. *Quomodo I. N. & an in infantibus detur?* 96.
VIII. *An jus naturæ dirigat etiam actus interiores.* 100.
Appendix contra Dn. Strimeſium. 105.

Facto

 XVII.

FActo hoc Vir Celeberrimus atq; Doctiſſimus Dn. *Samuel Puſendorfius* præmiſſæ Spicilegio præfationis initio : *Quanquam,* inquiens, *ſpes fuerat, poſt editum* Controverſiarum Specimen *tandem aliquando liberum mihi fore moleſtiſſima ſcriptione ſuperſedere, cujus neceſſitatem initio mihi malevolorum improbitas, & inde vitilitigatorum quorundam pro aſſerendis ſuis naniis importunitas impoſuerat: haut tamen apparet, qua ratione hoc ſaltem ſcripti commode defugere queam, per quod ultimus adverſæ partis conatus eſt deſtruendus* ; novam ſcribendi explicat neceſſitatem : *Video poſt conciſos calumniarum exercitus, unum aut alterum cavillationum manipulum adhuc frontem obvertere, tum præcipue ſereniſſimam ac potentiſſimam reginam Metaphyſicam, velut fidum barbariei tutelare numen auxilio vocatam, par diſtinctionum pulvere haut quidquam decoro ſordidarum ſubmiſiſſe, quæ ferocula toto late campo volitant, veluti ſola telis ſuis in acicularum ſubtilitatem attenuatis bellum confectura.* Verum quod uſum Metaphyſicæ in explicandis primis J. N. originibus ſic exagitat, recte propria Dn. *Puſendorfii* dicitur eſſe opinio. Longe

A enim

enim mitius de Scholaſticis,uſuq; primæ Philoſophiæ in hac diſciplina *Grotii*, *Conringius*, *Graſvvinkelius*, *Feldenus*, *Rachelius*, aliique viri politiſſimi judicarunt. Nil addo,quam B.*Bœcleri* verba Com.Grot.*P.I.p.22.* qui *rectum Grotii in eo judicium eluxiſſe* ſcribit,*quod ardui argumenti doctrinam via & arte,partite & ſubtiliter componi non poſſe vidit, absq; ope & adminiculo ſublimis ſapientiæ,quam Metaphyſicam vocant.* Exiſtimat equidem Dn. *Puſendorſius*, ſe iſtas diſtinctiones *facile opaca nube tectas magnum per inane circum volitantes ferre potuiſſe,ni ſubſidentem in inſidiis animadvertiſſet ſicariorum manipulum,infamibus telis inſtructum.* Patet verò bene dixiſſe *Philemonem*, πρόχειρον ἐπὶ τὴν γλῶτταν εὐλόγῳ τρέχειν, *diſerto proclive eſſe ad linguam currere*: Pleraq; quippe quæ hic dicuntur,mera nituntur ſuſpicione juſto iniquiori, quæ tàm atroci accuſatione innocenti gravis eſt. Fallitur enim vehementer,ſi quæ in Disquiſitione habentur, omnia in ſe dicta putat. Ita quando addit: *Id enim jam egregium, ac ſi Diis placet Theologicum facinus habetur, viros orthodoxos, probatæq; vitæ deterrimarum hæreſium,ipſiusq; adeo atheiſmi convitio aſpergere, occaſione quæſtionum philoſophicarum, quas ſalva S. Scripturæ autoritate ex ſolo rationis lumine ventilare ſe profitentur, & quidem antequam ad liquidum fuerit perductum, quid proprie in controverſia ſit*: Non in me hoc dici credo; certe dici non poteſt, qui *Puſendorſii* Orthodoxiam nusquam in dubium vocavi, vel de vitæ ipſius probitate dubitavi, tantum abeſt ut deterrimas hære-

ſes,

ſes,imo ipſum atheiſmum, occaſione quæſtionum, in quibus aliquid diſſenſus mihi cum illo intercedit, eidem objecerim. Scripſerim enim licet in *Diſquiſit.* mea ſub Procem. finem: *Diabolum ſub ſpecioſo Jurisprudentia naturalis nomine, tacitè jam Pelagianiſmi, jam Atheiſmi ſemina diſſeminare*, id ſicut de *Herberto*, *Spinoſa*, *Hobbio*, *Fernando Vaſquio*, nonnullis etiam Pontificiorũ *Moraliſtis*, quos mea *Diſquiſ.* confutatum ivit, quosq; hæc ſcribens petebam, verum eſt; ita plus juſto ſuſpicax merito vir celeberrimus audit, quo vitio in ſuo Spicilegio ſatis aculeato ſæpius laborat, contra mentem meam, quæ contra iſtos impoſtores dixi, in ſe dicta eſſe cenſens. Quæ de ſtatus controverſiæ dilucidatione idem monet, paſſim à Dn. *Pufendorſio* ipſo neglecta ſunt, illa ceu ſibi oppoſita oppugnante, quæ contra alios diſputata ſunt, & ſic theſin theſi non recte opponente: Id quod in illis, quæ de Indifferentiſmo ab eo contra me dicuntur, inprimis obſervare licet. Cum enim *Fernandi Vaſquii*, *Retorfortis*, *Guielmi Twiſſi*, *Szydlovii*, *Radæ*, *Caramuelis*, & ejusmodi Sophiſtarum, infrunitum Indifferentiſmum, quo à *libero* nudoque Dei beneplacito diſcrimen honeſtorum & turpium provenire delirant, ex inſtituto iverim oppugnatum, paſſim abſurdi hujus dogmatis facta mentione; ubi hoc legit non ſine convitiis ſuæ ſententiæ *detorſionem* fieri clamat; cum tamen tantum abſit ut delirium hoc *Pufendorſii* eſſe dixerim, ut ipſum hunc *Indifferentiſmum* recte etiam oppugnare in meis Orig. J.N. p.308. expreſsè ſcripſerim, *Vasquioq; eundem* oppoſuerim. Ita enim habent verba mea: *Recte judicat Dn. Pufendorſius Vaſquianum hunc Indifferentiſmum*, quo ſponte Dei dicitur poſſe mutare ſententiam quoad mutuas neces inter ſeſe perpetrandas, *eſſe abſurdum, & contradictorium.*

 Quis

Qui ergo affirmare poteſt, me *ſuam detorquere ſententiam & dictionem, tribuendo ei, quaſi ſtatueret, ea quæ lex naturalis jubet, libero Dei arbitrio bona eſſe facta*, vid. Spicileg. p. 8. ſeq. p. 13. contra ea quæ in Disquiſ. p. 357. dicta ſunt? Verum patet hinc, quam verum ſit illud *Philemonis*: τὸ καλαρχεῖν ἐστὶ τῆς ὀργῆς πόνος. Idem dictum ſit ad ſequentia: *Enimverò cum malevoli non id ſolum egerint, ut fructu & adplauſu induſtriæ meæ privarer, quod conſcientia rectæ voluntatis ſubnixo vile damnum erat: ſed & me velut autorem ac propugnatorem impiorum dogmatum, adhibita omni calumniarum arte differrent: nimirum inter ſanctiſſima officia eſt, male feriatorum hominum conatus evertere. Nam eruditione aut ingenio ut pollere credamur, an minus, parum intereſt. Sed ne peſtilentes opiniones fovere, aut in publicum ſpargere videamur, usq; adeò intereſt, ut magnum crimen ſit ejusmodi criminationem abs ſe non depuliſſe; & ejusmodi calumniis fidem adſtruat, qui non refellit.* Nam me quod attinet, tantũ abeſt ut illum *fructu & applauſu induſtriæ privatum* iverim, qui ab obtrectandi vitio, & φιλαυτίᾳ *Hobbiana*, ſum quam longiſſime remotus, ut eundem potius ſcriptis ſuis eximiis rem literariam eximie auxiſſe & augere ſæpius & ipſe affirmaverim. Oſtendat etiam, ſi poteſt, doctiſſimus *Pufendorfius*, me unquam eum *peſtilentes in publicum ſpargere* opiniones dixiſſe; quanquam non putaverim illum privilegium

vilegium infallibilitatis ſibi tribuere, vel in ſcribendo ſibi aliquid humani accidere poſſe negare, vel nolle credere oculos plus cernere, quam oculus videt. Bene etiam facit, quod ubi opus eſt, & per veritatem licet, ſuam vindicatum eat innocentiam, modo non in innocentes ferociat. Non tamen male interim monet B. *Ambroſius* 1. Off. c. 6. *Is qui cito injuria movetur, facit ſe dignum videri contumelia, dum vult ea indignus probari. Melior eſt itaq; qui contemnit injuriam, quam qui dolet. Qui enim contemnit, quaſi non ſentiat ita deſpicit, qui autem dolet, quaſi ſenſerit torquetur.* Hæc ab eloquentiſſimo Doctore mihi putabo dicta; ad ſe verò pertinere illud acutiſſimi *Auguſtini* credat Dn. *Pufendorſius*: *Quæ tandem vis niſi cæcitas & vanitas animi cogit hominem clauſis ut dicitur oculis tanquam in alterum jacere, quod in eum qui jecerit, continuo redeat, eumq; ictu reciproco affligat, intacto illo quem vulnerare voluerat.* contra Parmen. l. 2. c. 1. t. 7. Opp. f. 23. *Demus* interea tamen *has horas tuendæ noſtræ exiſtimationi*, ut innocenter, & minimè in *Pufendorf* injuriam dicta ab iniquis objectionibus, ſuſpicionibus, & inde ortis cavillationibus (dicemus enim quod res eſt) vindicemus; etſi non negemus, hoc ſcriptionis genere nos libenter ſuperſedere, & nobiliori labori noſtrum tempus impendere præoptare: Tantum abeſt ut *nugis* delectemur.

):(o):(

CONTROVERSIA I.

An & quomodo Doctrina J. N. ſecundum diſciplinam Chriſtianorum tradi poſſit?

§. 1. Quæſtioni huic occaſionem dedit libri mei *de Orig. J. N.* inſcriptio, à Dn. *Pufendorfio* c. I. p. 5. adducta. De *doctrina autem J. N. ſecundum diſciplinam Chriſtianorum* pertractanda primus, quantum mihi cönſtat, cogitavit Illuſtriſſ. *Boineburgius.* Doctiſſimus *Rachelius*, cujus laus in hoc genere literarum magna eſt, ſcripſiſſe ad ſe laudatum hunc modo Germaniæ noſtræ quondam *Peireſcium* tradit de J. Nat. diſſ. §. 101. *ſe deſiderare, qui ad imitationem Seldeni de Jure Naturæ juxta diſciplinam Chriſtianorum commentaretur.* Commendat etiam hoc inſtitutum, quibusq; potiſſimum opus ſit præſidiis docet *Bœclerus* Com. Grot. P. I. p. 21. Nimirum doctrina Juris naturalis tradi poteſt vel *abſolute*, & ſic audiendi ſunt omnes homines bene morati. Sicut enim hæc lex omnium cordibus eſt inſcripta, ita quæ legis huj⁹ ſunt omnibus dictat recta ratio: placuit hæc docendi ratio *Grotio*, probaturq; *Ricardo Cumberland.* de Leg. Nat. Proleg. §. 2. vel *determinate* ſecundum certæ alicujus Philoſophiæ indolem, principia, & placita, quemadmodum *Seldenus* ſecundum diſciplinam Ebræorum J. N. doctrinam explicatum ivit. Quid verò *Boineburgius* voluerit, J. N. diſciplinam ſecundum Chriſtianorum placita tradi deſiderans, & quæ inſinuati modi ratio docendi ſit, *Rachelius* ita l. c. expoſuit: *Credo Mæcenatis quondam noſtri deſiderium hujus diſcriminis demonſtratione non potuiſſe*

tuiſſe expleri, ſed inprimis hoc illum voluiſſe, ut ex optimorum Theologorum, & inprimis Eccleſiæ Patrum ſcriptis oſtenderetur, quid ipſi crediderint Juris eſſe naturalis, quibus argumentis quæq; capita adſtruxerint & illuſtraverint; quomodo illa diſciplina Chriſtiana vel conſentire, vel hanc jure naturali præſtare, & præ illo multa eximia habere exiſtimaverint. Additq; Vir celeberrimus ulterius: *Quia inprimis in doctrina Chriſtiana tantopere commendatur & lex charitatis & lex patientiæ, notumq; ſit, cum ab aliis, tùm à Grotio his multos ſingulares affectus tribui ſolere, hortatus ſum, imo rogavi nonnullos, ut his legibus explicandis aliquam navarent operam, docerentq;, quatenus illa cum jure naturæ convenirent, aut ipſi præcellerent.* Æque erudite atque perſpicue. Hac itaq; mente Origines J. N. explicaturus, quomodo priſci Eccleſiæ Patres, atq; Chriſtianorum Doctores, tàm qui rectè, quàm qui perverſe de religionis Chriſtianæ capitibus ſentiunt, ſecundum rationis principia, non repugnante ea quam profitebantur Theologia, easdem tradiderint, exponere volui, illorum probata ſententia, qui verum vidiſſent, licet alias agant Sophiſtas. Cæterum cum verum non niſi unum ſit, adductis in medium præſtantiſſimorum ex Ethnicis Philoſophorum teſtimoniis oſtendere volui, hanc Chriſtianorum Philoſophiam, à Chriſtianis licet profectam, eandem eſſe quam ex rationis lumine etiam Gentiles tradiderunt, illorumq; captui mentiq; reſpondere; ac proinde religionem noſtram Chriſtianam verè eſſe ſocialem, nihilq; continere, *quod humanæ ſocietati noceat, imò nihil quod non proſit*, uti rectè notat *Grotius* 2. J. B. 20. 49. graviterq; contra gentilium calumnias aſſeruerunt fortiſſimi vindices *Juſtinus Martyr, Tertullianus, Cyprianus, Arnobius, Lactantius, Auguſtinus.*

§. 2. Aſt Dn. *Puſendorfius* neſcio quas hic fingit inſi-

dias, *inſcriptionemq;* mei libri, *quo Origines J. N. ſecundum diſciplinam Chriſtianorum ad Gentilium captũ duquiruntur, inſidioſi quid redolere, & citra animadverſionem præteriri non debere* contendit. *Cum enim ſibi propoſitum fuerit jus naturale adaptare ad captum omniũ hominum, abſtrahendo quam peculiarem religionem foveant: (nam agnitionem & cultum Numinis in univerſum id jus præſupponere, & cum eo ſtare, cadereq;) conſequens eſſe*, addit, *ſequeſtrari ſententias nonnullorum è Chriſtianis doctorum, quatenus extra communem rationem, & conſenſum humani generis cadunt; ut adeò omnis diſceptatio quæſtionum circa jus naturale ab auctoritate certorum hominum ad ſanam rationem unice revocetur.* Atqui hoc eſt tractare jus naturæ abſolute ſecundum ſenſum totius humani generis communem, & rationem quæ omnibus, uti 1. de Legg. *Cicero* loquitur, communis eſt: *Nihil enim eſt unum uni tàm ſimile, tàm par, quàm omnes inter nosmetipſos ſumus*: Nos autem loquimur de ea explicandæ hujus Philoſophiæ ratione peculiari, quæ Chriſtianis placuit, quibus majus lumen circa origines hujus juris, & quæ ad illud pertinent, obtigit, ut quomodo illi hoc argumentum, quibusque rationibus ſecundum Chriſtianæ noſtræ religionis analogiam tractarint, exponatur, ceu à B. *Bæclero* & *Rachelio* perſpicue ſatis fuit monitum. Nec hic poſterior tradendæ hujus doctrinæ modus, per priorem tollitur; non etiam neceſſe eſt, ut ad controverſias Theologicas deſcendamus, cum Philoſophiam,

etſi

etſi Chriſtianam, non Theologiam explicare animus ſit, & ab omnibus controverſiis abſtrahere queamus. Id verò falſum eſt, quod *ut Scholaſticorum, & qui ſputa horum lingunt, ſententias ſanctitatis quadam ſpecie adornarem, titulum hunc commentus ſim, velut abs me tradita ex diſciplina Chriſtiana promanarent, & cum hæc etiam ad captum gentilium quadrent, ſine dubio reliquis omnibus præferi debeant*; falſum, inquam eſt, cum Philoſophiam Patrum circa origines J. N. potiſſimũ explicare, Scholaſticorum autem, quorum ſcripta per univerſam circumvolitant Germaniã, imò Europam, ſententias producere, examinare, veraq; falſis rejectis probare & retinere, Gentilium deniq; conſenſu illuſtrare conſtituerim. Putat autem Dn. *Puſendorfius, circa jus naturale ad diſciplinam Chriſtianorum adaptandum operam fruſtra ſumi, quanquam id à quibusdam propoſitum meminerit, & Johannis Seldeni inſtitutum* mihi *præ oculis fuiſſe videatur, qui ad diſciplinam Ebræorum id jus traditum ivit. Nam quod jus naturale & gentium Ebræorum ab univerſali illo, & ad captum omnium gentium formato in non paucis differt, rationem præcipuam videri, quod Ebræi circa fruitionem juris communis diſcrimen facerent inter eos, qui Iudæi, aut horum religioni forent addicti, & ex aliis gentibus oriundos, aliaq; ſacra profeſſos; aſt Chriſtianam religionem id diſcrimen ignorare, & per eandem etiam prærogativam*

tivam illam nationis Iudaicæ præ gentilibus eſſe ſublatam, ac nulli nationi præ altera, præcipui quid tàm circa gratiam à Chriſto partam, quàm fruitionem juris communis tributum: Verum enimverò quo ſenſu, quando quo pacto J. N. ſecundum diſciplinam Chriſtianorum explicari debeat disquiritur, id fiat, & quid intendatur, jam dictum eſt; ut proin non exiſtimandum, introduci aliquod diſcrimen inter Chriſtianos & Infideles circa juris hujus fruitionem, quale olim fuit inter Judæos & gentiles, ex lege poſitiva potius & inſtituto etiam humano, quàm ex jure naturali, ut hoc illi ipſi viri doctiſſimi, qui de jure naturæ ſecundum diſciplinam Chriſtianorum tradendo verba ſæpius fecerunt, monuerunt. vid. *Bœcler.* ad Grot. Com. P. I. p. 169. & *Rachel.* de Jur. Gent. §. 18. ſq. Hoc proin intenditur, ut ex monumentis veterum potiſſimum Chriſtianorum, vel hodiernorum etiam, explicetur, quibus rationibus analogiæ fidei, & rectæ etiam rationi, ejusq; dictamini reſpondentibus, doctrinæ J. N. capita explicatum & illuſtratum iverint; item qua ratione Charitati & Patientiæ à Chriſto tantoperè commendatæ eadem congruant, quod non cuivis ſtatim patere, cum ex *Grotii*, tum ex *Moraliſtarum* lectione cognoſcitur. Quæ argumenti hujus tractatio non ideo jure improbari poteſt, quod *in libris novi fœderis præcepta juris naturalis alterata, laxata, aut reſtricta non deprehendantur. Eoq; ſi quis ex iſtis libris præcepta & officia juris naturalis colligere velit, quatenus eadem etiam ad captum rationis & univerſi generis humani*

ſunt,

ſunt, nihil inveniet, quod peculiarem diſciplinam deſideret. Nam qua ratione officia juris naturalis, quæ ex libris ſacris perfectius, quàm ex corrupto rationis lumine explicari certum eſt, cum officiis hominis Chriſtiani, pietatis ſc. charitatis, patientiæ, humilitatis &c. legibus amice conſpirent, quo minus doceri debeat, per hæc non impeditur.

§.3. Format verò *Autor Spicilegii* p.6. ſibi aliquam objectionem: *Equidem*, inquiens, *jubemur præcepto Apoſtoli beneficentiam exercere adverſus omnes, ſed maxime adverſus conſortes fidei.* Reſpondetque, quod, quanquam ita ſit, *hoc ipſo tamen nihil detrahatur officio, quod omnibus hominibus ut talibus citra reſpectum peculiarium ſacrorum exhibendum lege naturali eſt; cui non repugnat, ex certa ac peculiari ſocietate ac conjunctione certum officii gradum conſtitui, univerſali officio cæteris paribus prævaliturum.* Verum, quando, cur, & qua ratione certus iſte officii gradus, qui cæteris paribus univerſali officio prævalere debet, conſtituendus ſit, certius & perfectius explicatur ex Chriſtianorum disciplina, quam ex mero ſibi relictæ rationis conſilio. Imò res haud raro ſua non caret difficultate. Sic quando *Grotius* J. B. P. 2. 1. 10. exiſtimat, *ſi cui periculum immineat accipiendæ alapæ, huic eſſe jus illud arcendi cum cæde inimici, cum ex ratione juſtitiæ expletricis, tum etiam ſalva charitate, illicitum autem reddi per legem Evangelicam ſ. Chriſti*; Philoſophia hæc non omnibus probatur. Ita cum uti *Graſvvinckelius* diſſ. de Fide Hæret. & Rebel. ſerv. loquitur, de *modo ſervandæ fidei diſconveniatur, aliterq; Gentiles,*

tiles, aliter Romanenſes, aliter Chriſtum orthodoxe ſc. *profeſſi ſtatuant*; fruſtrane inſumitur opera, ſi, quomodo hæc & complura alia capita J. N. quam Chriſtiani profitentur diſciplinæ, ubi illa recte fuerint explicata, hæc autem recte tradita & intellecta, reſpondeant, oſtenditur? Ita cum Magnanimitatem Ariſtotelicam *Ludovicus Vives* cum Chriſtianorum humilitate pugnare perſuaſum haberet, quâ ratione cum eadem conciliari debeat eximie docuit doctiſſimus *Durrius*. Cætera quæ p. 7. Dn. *Pufendorfius* habet de illis, *quæ ad Theologiam revelatam pertinent, & cum captum rationis transcendant, ab univerſalis juris diſciplina excludi debent*; ei cum hac cautione concedimus, quod liceat rationi Chriſtianæ, ne quid contra fidem & pietatem ſtatuat, eadem reſpicere. Concedimus præterea & hoc, *ſi quis ſub obtentu diſciplinæ Chriſtianorum aliquod dogma venditare velit, ei ex divinis ſcriptis id eſſe adſtruendum, aut ſaltem oſtendendum, omnes Chriſtianos, aut majorem & saniorem horum partem conſtanter & continuo ita ſenſiſſe, & praxi expreſſiſſe.* Nam & ſacras literas, Synodicos Canones, Patrum monumenta, Hiſtoricos Chriſtianos accuratiores, præſtantiſſimorumque Theologorum ſcripta, nos quoque inter præſidia hujus inſtituti numeramus.

§. 4. Cæterum cùm Scholaſticos *Grotius* quoque Proleg. inter operis ſui de J. B. P. præſidia numeraverit, quos ab ingenio partim, partim à modeſtia laudat, cum rationibus potius certare velint, quàm conviciis, quæ *turpem fætum mentis impotentis* vocat, rem gerere, vapulo

ego

ego à *Pufendorf.* quod in meo ſcripto Scholaſtici *utramq; faciant paginam*, quod manifeſte falſum eſt, cum utramq; potius paginam facere dici debeant priſci Eccleſiæ Doctores, *Juſtinus Martyr*, *Tertullianus*, *Clemens Alexandrinus*, *Nazianzenus*, *Theodoretus*, *Iſidorus Peluſiota*, *Auguſtinus*, *Chryſoſtomus*. Fallitur etiam vehementer, quando unice Scholaſticos, Canoniſtas mihi cordi eſſe credit, ut illorum *nugis immori dulce mihi judicem*, uti opinatur: Non enim latet virum doctiſſimum, nos Argentorati humanitatis literas, bonasq; artes majoris facere, quam ut illis neglectis barbariem triumphare, *nugisq; Sophiſtarum immori* malimus. Legiſſe verò me Scholaſticos & Moraliſtas, imò quando ſic fert occaſio, adhuc legere, non equidem nego. Cum enim ex ratione muneris mihi demandati Philoſophiam Practicam, & ſic moralia æque atque civilia docere teneat, quî quæſo ignorare debeam penitùs, vel publicè etiam de illis altum tenere ſilentium, quæ de quæſtionibus moralibus, vel etiam de origine moralitatis, Sophiſtarum in tot tantisque editis ſcriptis ſit ſententia? Cumque nova indies cudantur opera Moralia ab hoc genere hominum, paſſimq; per orbem divulgentur, non ſine inſanorum dogmatum diſſeminatione; ad eruditi ſeculi judiciũ appello, tàm ſcopticene exagitari mereantur, qui quid ejusmodi ſcriptis contineatur, cognoſcere avent, ut minus ſobriè, minusq; cautè, & falſo ab hominibus his juſto liberalioribus diſputata excuti, & prout par eſt, publicè etiam caſtigari queant? Siq; illorum bene dicta retinentur, imò & excerpta exhibentur, non majus crimen committitur, quam quando ab *Ariſtotele*,

tele, *Porphyrio*, *Hierocle*, vel *Ovidio* etiam aut *Martial.* congruè dicta allegantur. Cumq; præterea in animo habuerim à Moraliſtis circa jus naturale diſputata, æque atq; aliorum effata, pro Academica libertate modeſtè examinare, qui illorum ſententias non allegare debuerim, non apparet. Longe mitius interim de Scholaſticis judicarunt viri doctiſſimi *Grotii*, *Bœclerus*, *Grasvvinckelius*, *Conringius*, & alii viri Politiſſimi. Probat etiam Grotianum inſtitutum, quo inter præſidia operis ſui Scholaſticos numeravit B. *Bœclerus* Com. p. 22. quæ inquiens, *de cætero in Prolegomenis affert de Scholaſticis, quin recte ſe habeant, nullus dubitem.* Quanta denique humanitate *Grasvvinckelius* Luſitanum Lojolitam Rebellum tractarit, teſtimonio eſt illius Diſſertatio *de Præludiis Juris & Juſtitiæ*, cujus hoc fecit initium: *Incidi non ita pridem in ſcripta R. P. Franciſci Rebelli Luſitani de obligationibus juſtitiæ & religionis & charitatis. Obſervavi multa, pulchra, accurata, & ad ſymbioſin Politicam egregiè facientia. Quisquilias verò* ſi quis habent, eas ſuis autoribus relinquo, etiam non monente Dn. *Puſendorſio.*

CONTROVERSIA II.

De Origine moralitatis, & Legis Naturalis.

§. I. PRæcipua, inquit Nobiliſſimus Vir, *Controverſia eſt*, de Origine moralitatis, *ipſiusq; Legis naturalis, abs qua nos voluntatem Dei hautquaquam excludendam, ſed illam ad hanc ſe conſequenter habere contendimus.* Nos diſtinctius hæc exprimimus,

mimus, quo ne ſiniſtre, quæ à nobis diſputantur, quis excipiat, præveniamus. Quare cum vox *Originis* in hac quæſtione notet τὸ *unde*; de eo non diſceptatur, *unde* aliquid ſit, ſi quocunq; modo infert & implicat reſpectum ad ſui productionem & exiſtentiam: Deo enim tanquam autori omnium, ejusq; voluntati, non tamen à bonitate, ſanctitate & ſapientia illius abſolutæ, quicquid eſt ſuum eſſe refert acceptum, cum ut ſit id quod eſt, tum ut tale ſit; ita ut ipſe rerum omnium conditor optimus maximus, unicuique etiam creaturæ aſſignaverit cum Eſſentiam, tùm partes & requiſita, ex quorum combinatione talis, & non alia prodiret natura: ſed de *ratione ipſius naturæ rei*, ſ. in genere rerum Phyſicarum, ſ. moralium, disquiritur, *unde* in genere cauſæ formalis ſc. non *unde* in genere cauſæ efficientis ſit, quod v. c. homo ſit animal rationale, quod blasphemia ſit turpis & hominem dedeceat? Nos exiſtimamus hanc quæſtionem illi ſimilem eſſe, quando quæritur, unde ſit, quod triangulum ex tribus conſtet angulis? vel quod punctum dicitur, quod nullas habet partes? cum uti ex tribus lineis ad tres angulos contiguis oritur (formaliter ſc.) triangulũ, ita ex combinatione animalitatis & rationalitatis oriatur homo. Unde ſicut ratio veri, prout ficto opponitur, ita requirit in triangulo & puncto, non qua antecedens præcisè divina voluntas; ita veritas humanæ naturæ, quæ immutabilis eſt, immutabiliter quoque determinatam certorum eſſentialium requiſitorum connexionem requirit, cum non ex quolibet quodlibet fieri queat, nec idem, ut verè idem, ſeu eadem natura ſit & maneat, ex diverſa & oppoſita conſtare poſſit ratione; ſic ut velit proin Deus hominem creare animal rationale,

nale, quia ejus veritas quaten⁹ ficto opponitur ita habet; non verò ideò præciſè homo ſit animal rationale, quia Deus ita vult. Eſt equidem divinæ voluntatis etiam antecedentis & aſſignantis, ut animalitas & rationalitas ad creaturam completam, quæ homo dicitur, conſtituendam combinentur; ſed ipſa combinabilitas, & veritas hæc, quod ex animalitate & rationalitate combinata oriatur ſpecies quæ appellatur homo; & quod hæc ſic exoriens ſpecies qua talis, horum & non aliorum requiſitorum connexionem immutabiliter velit, hoc ſe habet viciſſim ad eandem antecedenter: Artifex aſſignat quidem candelabro ſuam figuram & annulo, antecedenter tamen ad illius definitionem, alia eſt candelabri, alia annuli natura & indoles, repugnatq; hujus veritati cadere in illum figuram candelabri, uti viciſſim iſtius veritati contrariatur, admittere figuram annuli, ita ut non ſolum contra voluntatem & inſtitutum ſuum, ſed etiam contra rei veritatem agere dici debeat, qui effecturus candelabrum producit annulum. Amphora cœpit inſtitui cur urcus exit? Nam ut vera maneat amphora, non ad quamlibet oppoſitam etiam & disparatam figuram, v. c. ovilis ſe habet indifferenter. Idem de Moralitate naturali, quam legalitati contradiſtinguendam eſſe dicimus, verum eſt. Nec hæc ſunt mere Scholaſtica, à quibus nobiliſſimam hanc diſciplinam & politiores literas potius ſeparare geſtio, quam novis involvere tricis. Probant enim hanc Philoſophiam non ſolum Gentiles *Plato*, *Ariſtoteles*; ſed & Chriſtiani Philoſophi: item Theologi, B. *Auguſtinus*, & noſtrates. Alias *Simonidis* cunctationem non improbo:

Quippe

Quippe minor natura aciem ſi intendere tentet
Acrius, ac penetrare Dei ſecreta ſupremi:
Quis dubitet victo fragilem laſſeſcere viſu?
Vimq; fatigata mentis ſub pectore parvo
Turbari, invalidisq; hebetem ſuccumbere curis.

bene cecinit contra Symmach. *Prudent.* l. 2. v. 94. Nec ita crude loquendum, ut *voluntatem Dei excluſam* penitus ab eo velimus dicere, quod ad eam ſe antecedenter habet: Quod enim conſequenter Deus deſignat, approbat & confirmat ex infinitæ ſuæ ſapientiæ dictamine, fieriq; decernit, ab eo voluntas ejus non ſimpliciter excluſa dici debet. vid. Disquiſ. de Orig. J. N. p. 338.

§. 2. Ad elucidandum dein *ſtatum Controverſiæ* ſe convertit: *Sed initio*, inquiens, *probe obſervandum, quid circa hanc quæſtionem à Zentgrav. concedatur; & quid deinceps, & quibus de cauſis, quove adparatu ab eodem oppugnetur.* Optandum verò, ſatis diſtinctè hoc Dn. *Pufendorf.* feciſſet, nec quæ Moraliſtis, Indifferentiſmi item Patronis, Scholaſticis, *Rhætorforti*, & aliis ſunt oppoſita, nimia ſuſpicione abreptus in ſe dicta cenſuiſſet, ſuperſedere potuiſſet ſcriptione, de *cujus moleſtia* ſupra queſtus eſt. Quid autem me ſibi concedere credat, verbis meis ex meo Tractat. de Orig. J. N. p. 310. ita explicat: *Ac inprimis conſideratione digna ſunt hæc iſtius* (*Zentgravii*) *verba*: *Cauſa, quare divinam voluntatem moralitatis principium eſſe contendunt*, (*Pufendorf.* & alii) *eſt, quia ſemper conſiderant hominem in ordine ad exiſtentiam, quatenus dependens, & quid*

ex conſtitutione actuali ſc. *creatoris ſit, cum nos eundem abſolutè ratione eſſentiæ ſuæ, præciſo iſto reſpectu, in hac inveſtigatione conſiderandum eſſe, & conſiderari poſſe, prout* (hoc poſterius nimirum) *prima Philoſophia docet, exiſtimemus.* Ex his verbis meis Dn. *Pufendorf.* concludit, me *agnoſcere, nihil ab Eo falſi circa hanc quæſtionem aſſeri; ſed ea tradi* ab illo concedere, *quæ rerum naturæ, prout à Creatore actu ipſo conſtituta exiſtit, congruunt.* Verum quæ ſic diſputantur, nondum ad ratione planè ultimam, quæ in hac de origine moralitatis quæſtione queritur à Philoſophis, contra quos diſputam⁹, & quæſita hactenus fuit, pertingunt. Unde quando ulterius infert: *Cujus autem tradita cum exiſtentia rerum congruunt, non ſolum vera ſunt, ſed & evidenti, ſolido, atq; immutabili fundamento innituntur;* nondum tamen ſic ſatis diſtinctè, plenè & ex ratione planè ultima, quam Philoſophi & moralium Doctores hactenus inquiſiverunt, hinc motam controverſiam deciſam ſequitur, cum non tàm quæſtio ſit de cauſa efficiente rei exiſtentis, quàm de fundamento & ipſa rei veritate formali qua talis eſt: An nimirum eſſentia & natura rei qua talis, non qua producta, vel qua exiſtens, ſe ad voluntatem Dei antecedenter, an verò conſequenter habeat? Nec ideò *immutabili*, ut vult Dn. *Pufendorf. fundamento* ſimpliciter aliquid *innititur*, quia congruit rei exiſtenti, niſi & ratio rei exiſtentis in ſe ſit immutabilis, & non ſolum qua decreta conſequenter, ſed & qua de-

cernenda ratione veritatis ſuæ formalis antecedenter ad divinam voluntatem ſe habeat. Illud verò planè ἀσυλλογίςως dicitur: *Neq; enim alia ratione hominẽ conſiderat Theologia, quam prout actu in rerum natura à Creatore conſtitutus eſt, quem etiam quoad exiſtentiam ad ſalutem æternam perducere laborat, de eſſentia quatenus ab exiſtentia præſcindit parum ſolicita.* In Theologia enim ſpectatur homo quoad ea, quæ non niſi exiſtenti accidunt; in noſtra verò de origine moralitatis controverſia humana natura conſideratur tanquam ratio moralitatis, cum conditio humanæ naturæ talis ſit, ut alii actus ei per ſe conveniant, alii non conveniant, ut proin neceſſarius rerum ordo & connexio certos actus ab homine præſtandos immutabiliter requirat, ſive Deus ita præcipiat, ſeu non præcipiat. Unde & ex virtute vivere, *Stoicis* atque *Platonicis* olim explicatum fuit per τὸ ἀκολέθως τῇ φύσει ζῆν; ut ex fragmentis *Stobæanis, Seneca, Cicerone, Philone* conſtat. Unde inter requiſita, ex quorum conjunctione moralitas in actu exoritur, in Disquiſ. p. 270. numeravimus *conditionem agentis*, quod rationale & liberum eſſe debet, cum actus ſuſceptibilis ſit moralitatis, ſecundum quod humanus eſt. Quare ut moralitatis immutabilis & interna etiam neceſſitas plenius & diſtinctius diſcutiatur, an nimirum antecedenter etiam ad divinam voluntatem, an verò conſequenter ſe tantum ea habeat? quam immutabile & neceſſarium quoque ejus ſit fundamentum? numque veritas ejus interna antecedenter, an verò conſequenter divinam voluntatem reſpiciat? disquiritur. Nimirum ſi propoſitio hæc: *Homo eſt animal rationale*, vera eſt,

ratione connexionis ſcil. non per divinæ voluntatis actum præcisè, vera quoque erit antecedenter ad eandem illa moralitas, quæ ex poſitione humanæ naturæ, ejusque veritatis antecedenter divinam voluntatem reſpicientis, reſultat. Quæ verò de *dica* habet, *quam ſibi alios impactum iviſſe* ait, ad me non pertinent. Etſi verò moralitas ſecundum veritatem rationis ſuæ formalis ſe antecedenter ad divinam voluntatem habeat, *fateor* tamen, *legem naturalem referre ſuam originem ad divinam voluntatem quatenus lex eſt, & vim obligandi habet, conſequenter*. Cæterum quod dixi, D. *Puſend.* ſtatũ controverſiæ, quæ nimirum ei, quæq; aliis ſunt oppoſita non definite diſtinguendo, quoad ea quæ inter ipſum & me pro honeſta libertate, amore veri disquiruntur, ſæpi⁹ neglexiſſe, hujus rei ſpecimẽ edidit rurſus, quando p. 9. *detorſionẽ ſuæ dictionis & ſententiæ* mihi objicit, quod dixerim: *Quæ Lex naturalis jubet, non libero demum Dei arbitrio bona fuiſſe*; quaſi hæc ejus foret circa originem moralitatis ſententia. Atqui nusquam me in *Disquiſit.* ejusmodi liberum beneplacitum, ſine ullo ad indolem creaturæ reſpectu, *Viro doctiſſimo* tribuiſſe memini; hoc verò ſcio, me in *Vaſquio, aliisq;, Guielmo Twiſſo* ſc. *Szydlovio*, *Rada*, *Caramuele* &c. in Disquiſ. p. 324. expreſsè id improbaſſe, nulla quod hanc indifferentiam divinæ voluntatis attinet, facta unquam *Puſendorſii* mentione, quem potius p. 308. hunc inſipidum *Vaſquii*, aliorumque Sophiſtarum Indifferentiſmum rectè oppugnare ſcripſi. Quid quod ipſam *Puſendorſianam* de origine moralitatis ſententiam certa quadam ratione expreſsè probaverim.

verim,& cum mea theſi amice conſpirare dixerim. vid. Disquiſ. p. 308. 336. ſqq. 357. Quærit verò *Autor Spicileg.* §. 3. *Cur, cum ſibi concedatur, quod moralitas quoad exiſtentiam hominis, & lex naturæ ut talis conſiderata, ad voluntatem divinam conſequenter ſe habeant, ſibi hic ſubſiſtere non liceat?* Et reſpondere me fingit, quia *id vetat Philoſophia prima, illa divinæ humanæq; ſapientiæ arbitra, quæ myſtas ſuos magnum inane ingredi, hominemq; conſiderare jubet ratione eſſentiæ, præciſo exiſtentiæ reſpectu. Quo conſiderandi modo moralitas, ut & lex naturalis, prout ſpectatur non ut præceptum, ſed ut veritas, antecedenter ſe ad voluntatem divinam habebit.* Noſtra verò extant verba in Disquiſ. p. 310. ubi non dicitur, *primam Philoſophiam id vetare*, quo minus in quæſtione prout eam *Pufendorfius* formavit, ſubſiſtamus, ſed eam docere affirmatur, hominem *poſſe ita abſolute ratione eſſentiæ ſuæ, præciſa exiſtentia conſiderari*, quod miror Dn. *Pufendorfium* velle jam negare, poſtquam in Muſæo B. *Stalii*, cujus noſtra eſt hæcce Philoſophia, *tot atomos diſtinctionum & terminorum Metaphyſicorum*, prout in *Specim.* p. 182. his ipſis gloriatur verbis, *ſibi deglutiiſſe viſus eſt.* Cauſa verò, quare hic non cum Dn. *Pufendorfio* nobis ſubſiſtere placeat aut liceat, jam eſt indicata: Accedit quod jam à Philoſophis ante nos ſic formata fuerit quæſtio, cum quibus, vel contra quos, ubi in animo habemus diſputare, leges bonæ diſputationis quoque requirunt, ut illorum controverſiæ retineamus ſtatum. De laude verò *Metaphyſica*

taphyſicæ in his quæſtionibus ſupra B. audivimus *Bæclerum.*

§. 3. Male verò habet Virum doctiſſimum, quod in quæſtione de *Origine moralitatis* diſtinxerim 1. inter *hominem prout exiſtit*, ſeu in ordine ad exiſtentiam, & prout *ratione eſſentiæ, præciſo exiſtendi reſpectu* conſideratur. 2. Inter *præcepta* legis naturalis, ſeu ipſam legem naturalem, & rei præceptæ *veritatem.* 3. Inter *legale* & *morale.* Cum enim ſibi ulcus hiſce premi diſtinctionibus ſentiat, in duas priores invectus, *habet*, inquit, *par hoc diſtinctionum ex intimis nugarum receſſibus depromtum, id efficaciæ, ut non ſolum voluntatem Dei in ordinem redigere, & velut erroris aut pravitatis ſuſpectam poſt formas rerum collocare queat, ſed & dogmata ſuæ naturæ rerum adaptantes impune & citra ullam impudentiæ, improbitatis & furoris notam Pelagianiſmi aut Atheiſmi convitio aſpergere.* Sed non recte *voluntas Dei in ordinem redigi dicitur,* quando ſecundum rationem divinæ ſanctitatis, juſtitiæ, miſericordiæ & ſapientiæ aliquid velle & ordinare declaratur, & ex perfectiſſima harmonia quæ in ente perfectiſſimo datur, ne aliter poſſe velle affirmatur. Libera quidem eſt divina voluntas à coactione, ſed non à neceſſitate rectitudinis, id quod ſummæ eſt perfectionis. Non etiam *velut erroris & pravitatis ſuſpecta poſt formas rerum collocatur* eadem, quam in *ſenſu identico* ipſam divinam ſanctitatem, & infinitam ſapientiam eſſe contendimus. Intelligit primo

Deus

Deus ex infinitudine ſapientiæ naturaliter ante omnẽ actum voluntatis per voluntatem formaliter elicitum, quid fieri queat, & quid facere ſeu creare poſſit, ubi creare voluerit, dein etiam intelligit quid creare velit, ubi ſc. creare conſtituit, quia nimirum ſuum etiam intelligit decretum; ibi forma rei ceu objecti intellectus ante voluntatem, hic poſt eandem collocatur. Audi incomparabilem *Dorſcheum*, Theol. Zach. P. II, p. 171. *Deus antequam creet hominem, intelligit ipſum hominem, & intelligit ſe poſſe creare, & in creando intelligit ſe creare.* Et mox: *Voluntas divina non potuit voluiſſe, ut illa intellectio cauſaretur, niſi prius etiam ab intellectu divino intellecta fuiſſet.* Videantur verò hæc à Theologis & Philoſophis communi conſenſu tradita Dn. *Pufendorf.* ***intimi nugarum receſſus***, erudito tamen ſeculo id nondum perſuadet, quod ſingularem potius viri doctiſſimi φιλαυτίαν inde cognoſcit. Cum autem à ***convitio Pelagianiſmi & Atheiſmi eidem impacto*** liber ſim, uti ſupra monitum, num ***impudentiæ, improbitatis & furoris*** etiam ***notam*** contraxerim, eruditis di judicandum relinquo. Bene *Juſtinus Martyr* ad Zen. & Seren. Epiſt. f. 390. φευκτέον, inquit, καὶ ὑπονοίας πονηρὰς, ϗ τὴν ὑπόληψιν τὴν ἑαυτῶν δοκιμαστέον, *fugiendæ pravæ aliorum de nobis ſuſpiciones, & **noſtra ipſorum de aliis præſumta opinio exploranda.*** Inde pergit ita Dn. *Pufendorf.* ad elidendas datas diſtinctiones: ***Ubi primo noſſe velim, quid neceſſitatis ſubſit, ut non ſufficiat nobis, hominem & quamvis aliam rem quoad exiſtentiam conſideraſſe, cum Deus, primum & perfectiſſimum***

 ens,

ens, non poſſit & debeat conſiderari, quoad eſſentiam, præciſa exiſtentia. Hoc verò diſcriminis intercedit, quia res creatæ componuntur ex eſſentia & exiſtentia, non verò Deus: Unde licet ibi, ſi quæſtionis propoſitæ ratio ita requirit, partiri res, & ſic ſpectatas in relatione ad Deum autorem & ejus attributa diſtinctè conſiderare, quod hic piè fieri non poteſt. Cur verò *exiſtentia præſcindatur*, ſupra dictum eſt. Inſtat autem p. 10. *Et ſanè etiam absq; conſideratione iſta eſſentiæ citra exiſtentiam licebit diſtinguere ea, quæ alicui rei in univerſum & perpetuo inſunt, ab iis quæ certis duntaxat individuis, aut non perpetuò ineſſe deprehenduntur, utut ſemper res velut exiſtens oculis obverſetur.* Additque, quod tamen vix credo, ſe *quem alium uſum ea præciſio aut abſtractio habeat, perſpicere non poſſe.* Verum quicquid ſit, cum vehementer dubitem, num Proceres Metaphyſici plurimi ita diſputanti *Pufendorfio* ſint manus porrecturi, quorum litem ego jam meam non faciam; nego exinde ſequi, quod, quando de primo & ultimo moralitatis principio formali, non verò de cauſa efficiente, de qua non eſt quæſtio, disquiritur, non rite præſcindamus, atque conſideremus humanam naturam præcisè, ratione veritatis ſuæ ſpectatæ ſub certorum, quæ ipſa, ut mihi ſic loqui liceat, realitas uti fictioni & entibus rationis hæc opponitur exigit, & neceſſariorum requiſitorum eſſentialium conjunctione formali, non effectiva. *Deinde* quærit: *Cum eſſentia illa ab exiſtentia præciſa ſint aliud nihil,*

quam

quam conceptus rerum inadæquati, ſubſtantiam ſuam ex cerebellis Sophiſtarũ (eximius honoris titulus quo primæPhiloſophiæDoctores proſequiturPuf.) *ſortiti: quare, cum moralitas homine quoad exiſtentiam adeoq; conceptum adæquatum conſiderato conſequenter ad voluntatem divinam ſe habere concedatur, illa antecedenter ad eandem ſeſe habere fingitur, ſi homo inadæquate & præciſa exiſtentia conſideretur?* Verum non fingitur tantum moralitas ſe habere antecedenter ad divinam voluntatem, multo minus tùm & ideò eandem ſic reſpicere dicitur, quando homo præciſa exiſtentia conſideratur; ſed quia eandem per ſe antecedit, & in humana natura qua tali etiam, & in quantum ea quoque, ejusque veritas ſe antecedenter ad divinam voluntatem habet, non qua præcisè creatâ fundatur, hinc ad ſignificandum hoc præſcinditur quoque ab ejus exiſtentia, quia ad naturam & veritatem moralitatis exprimendam iſta non pertinet, neq; requiritur, cùm ſi vel nullus unquam homo vixiſſet, tamen vera fuiſſet logicè hæc propoſitio: Homo debet colere Deum; continere manus à cæde, ſicut nullo unquam dato triangulo verum eſt, quod tribus id conſtet angulis. Unde patet planè inconvenienter, & minimè ad rem quæri à *Pufendorf. Quomodo diverſus concipiendi modus tantam diverſitatem circa influxum creatoris producere queat?* Diverſus quippe concipiendi modus ſequitur tantum diverſam rei habitudinem, quam habet in ordine ad voluntatem divinam, qua illam jam antecedere, jam conſequi dicitur. Minime

verò diverſitatem aliquam circa influxum creatoris producit noſter intellectus, ſed prout rem invenit, ita eandem concipit. Supervacaneum etiam eſt quod ſequitur: *Igitur abſtrahamus quantum velimus, præſcindamus, concipiamus, modo fixum id ſedeat, uti omnes res creatæ à divina voluntate exiſtentiam, ita & eſſentiam; uti materiam, ita & formam; uti quod ſunt, ita & quod tales ſunt habere.* Nam per hoc quando aliquid antecedenter ad divinam voluntatem ſe habere dicitur, non negatur habere ſe quoque ad eandem conſequenter. Concedimus præterea, quod, *cum Deus ſit bonitas infinita, non potuerit ab alia ratione boni impelli, ad optimum quodq; faciendum*: ſed exinde non ſequitur, naturas rerum, ſi immutabilem earum veritatem, certorum item requiſitorum eſſentialium connexionem formalem, illorumque mutuam, & non quidem à ſe, attamen in ſe immutabilem congruentiam ad hujus præciſè animalis ſc. rationalis, non cujuslibet alterius rei conſtitutionem itidem formalem, conſideres, non tales eſſe antecedenter ad divinam voluntatem. Ita quando deniq; dicitur, *cum Deus ſit ens infinitum, æternum, incomprehenſibile, omnis boni autor, & à quo omnia dependentiã habent, in ejus conceptu errare, qui aliquid putant eſſe poſſe independenter ab ejus voluntate*, nobis non contradicitur, cum τὸ *antecedere* divinam voluntatem, rei ab eadem dependentiam non tollat. vid. *Orig. J. N.* p. 39. 309. Patebitque ex dicendis hoc ulterius. Perpetuum enim hoc ferè eſt, ut τὸ *unde* in genere efficientis confundatur cum τῷ *unde* formali.

§. 4.

§. 4. Diſtinguitur 2. inter *præcepta* legis naturalis, & inter rei præceptæ, ſive præceptorum *veritatem*, hæcque antecedere divinam voluntatem, illa verò conſequi eandem dicuntur. *Ferocula* hæc, uti alibi Dn. *Pufendorſio* dicitur, diſtinctio, *quod toto late campo volitet*, oculo minus æquo à viro doctiſſimo aſpicitur; unde *inanis*, inquit p. 11. *eſt diſtinctio illa legis naturalis*, (non hæc mea verba ſunt: ſed nolo dici nodum in ſcirpo quærere.) *ut eſt præceptum, & ut eſt veritas, velut illo reſpectu iſta abs voluntate divina dependeat, non autem hocce?* Sed qua ratione? *Veritas quippe eſt aliquid ordine poſterius exiſtentia.* Qui verò ſic? cum & ſcientia, & conſequenter veritas rei nõn exiſtentis, imò ne extituræ dari queat. *Prius* enim inquit, *concipitur aliquid exiſtere, aut poſſe exiſtere: poſterius veritas, quæ ex congruentia intellectus cum ipſa re: prout exiſtit & revera ſe habet, reſultat. Vnde nulla planè re exiſtente, nulla quoque circa res exiſtit veritas; re intra potentiam hærente, veritas quoq; parem indolem gerit.* Sed confunditur veritas eſſentiæ, cum veritate exiſtentiæ; hæc non datur re non exiſtente, illa autem quo minus interim aſſeri queat, nil impedit. Nullo enim dato triangulo verum eſt, eritq; in hoc veritas ejus ſemper poſita, quod ex tribus conſtet angulis: Et ad *veritatem eſſentiæ* corporis naturalis etiam nunquam futuri, imò ne futuribilis, requiritur materia & forma. Mathematicus demonſtrat veritatem Ecclipſeos etiam non exiſtentis, etiam interveniente fine mundi non extituræ. Fingi etiam nullam unquam contigiſſe è nubibus coruſca-

ruſcationem, verum tamen erit, fulgur eſſe meteorum ignitum. Ab æterno jam verum fuit ignem non eſſe aquam; nec eam eſſe poſſe; hominem non eſſe brutum: quiquid ſit de veritate cognitionis, *quæ eſt congruentia intellectus cum re*, quam etiam Dn. *Puſendorf.* cum veritate rei interna, quæ in eſſendo talis, quæque actum exiſtentiæ neque includit, neque excludit, confundit. Sufficit *Puſendorf.* concedente, quod *res poſſit*, h. e. non repugnet *exiſtere*, & ſic ab exiſtentia abſtrahat; non enim aliud & nos urgemus. Sicut verò infirma eſt modo allata ratio, qua noſtra gratis oppugnatur diſtinctio, ita nil concludit *Vir Nobiliſſimus*, quando ſic infert: *Præterea ſi à voluntate Dei provenit lex naturalis, ut eſt lex, ſeu præceptum, v. g. ſi ita exprimitur, adulterium eſt omittendum; etiam provenit eadem à voluntate divina, ſi concipiatur ut veritas, v. g. adulterium eſt turpe, adulterium adverſatur naturæ hominis ſociali:* Nam res præcepta, concepta ut veritas præcisè, non debet dici lex naturalis; cum aliud ſit *legale*, quod non niſi conſequenter ad voluntatem legiſlatoris Dei ſe habet, aliud *morale*, quod ſi veritatem ipſius internam & formalem ſpectes, antecedenter ſimul eandem reſpicere à nobis aſſeritur; quicquid ſit de voluntate conſequenter approbante, ejusque productionem ſapienter decernente, quod in quæſtionem non cadit. Falſum deniq; eſt, quod addit: *Hæ quippe propoſitiones in effectu æquipollent; cum etiam poſterior, quæ affectionem aut effectum actionis vetitæ exprimit, præceptum ſimul inſinuet: & prior dum præcipit,*

præcepti

præcepti quoq; rationem complectatur. Aliud quippe eſt *decere*, aliud *obligari legaliter* ; quæ ſicut in effectu non æquipollent,cum hoc vim quandam coactivam una importet, cujus illud ſaltum fundamentum & cauſam dicit, ſine actuali legali obligatione ; ita duæ quoque illæ propoſitiones, quarum illa obligationem legalem, hæc verò decorum & obligabilitatem formaliter exprimit, in effectu quoque formali æquipollere dici neſciunt.

§. 5. Sudes denique Dn. *Puſendorf* eſt in oculis diſt. 3. inter *morale* & *legale*, de qua cum aliud nil p. 12. dicat, quam *quod appareat inepte, & non niſi ad ſalvandam abſurdam theſin illam fingi*, manifeſtum eſt non elidi,quod bono nititur fundamento. Quæ enim ratione formali differunt, merito ceu diſtincta apprehenduntur. Et miror, qui *Vir doctiſſimus* ſui oblitus *inepte* (quo elogio ego non moveor, cum in Spec. Controv. p.136. *Grotium* quoque eodem commendaverit) *diſcrimen inter morale & legale in honeſtate actionum fingi* contendat, cum *imputativitas*, in qua ille *formale actionis moralis conſiſtere* fingit, in Elem. l. 1. 4. & de J. N. & G. 1. 5. 3. & *legalitas* omninò differant; & aliud ex ipſius *Puſendorfii* mente ſit loqui de *formali actionis moralis*,aliud de *norma actionis moralis*,ſeu de lege. Quare cum in caſſum noſtras elidere diſtinctiones laboraverit, non ægrè feret Cl. *Puſendorfius*, ubi & in ſequentibus illæ à nobis fuerint rurſus uſurpatæ.

§. 6. Poſthæc invidioſè paſſim, ſatisque cavillatorie exagitat, quod Grotianæ, Scholaſticæq; *hypotheſeos* abſurdæ, SI NON DATUR DEUS, ad hominem diſputans fecerim mentionem; & poſt adducta Præ-

fationis

ſationis meæ verba, quibus expreſsè proteſtatus ſum, quod & p. 336. ſq. Disquiſ. factum, me ad hominem diſputando ita loqui, *mirum*, inquit, *quis virum orthodoxum coëgerit laborare circa adſtruendam originem honeſti, à Dei voluntate non dependentis, ob impiam & abſurdam Scholaſticorum hypotheſin, ſi Deus non datur*. Quæritque: *An eo jam res redierit, ut cogamur ſtolide philoſophari, quia Sophiſtis illis ita placuit?* Sed fallitur, quando me ob Scholaſticorum hypotheſin coactum eſſe laborare circa adſtruendam originem honeſti, à Dei voluntate non dependentis, ſibi & aliis id perſuaſum Dn. *Pufendorfius*; mentemque meam pervertit, cum eandem ad hominem tantum uſurpare conſtituerim, ceu quam in Disquiſit. p. 336. expreſsè improbavi, partim quod ita ab aliis jam ante me ſtatus quæſtionis fuerit formatus, ad quorum mentem loqui ratio bonæ oppoſitionis cogebat; partim quod illi ipſi Scholaſtici, contra quos diſputare animus erat, illa uterentur. Nec ego illum, quod *ſtolidè philoſophetur*, jure accuſari putaverim, qui contra Scholaſticos diſputans, quod in hac de Origine J. N. quæſtione à me fieri poſſe & debere, nec ipſe Dn. *Pufendorf*. negatum iverit, Scholaſticorum aſſumit hypotheſes, abſurdas licet, admiſſas tamen ab illis, ad illos oppugnandos; vel quæſtionis ad mentem illorum illuſtrandæ ergo eas retinet. Quod verò una hoc facto doctrina Pufendorfiana, omnem rationem & veritatem moralitatis ad voluntatem Dei conſequenter ſe habere contendens, quæ & ipſa Scholaſtica eſt, oppugnetur, id mihi vitio verti non poteſt, vel lis hoc nomine

mine jure contra me inſtitui. Pervelim autem à Viro Celeberrimo, quando contra me diſputat, in noſtra quæſtione, in quantum disſenſus aliquid inter nos intercedit, formanda omitti vocem *Dependentiæ*, cum ad exiſtentiam ea pertineat, ejusque in cauſa efficiente rei explicanda fiat mentio; de qua non loquor, qui moralia naturalia ſaltem ratione veritatis ſuæ divinam voluntatem antecedere concipio. Cæterum ipſam quod attinet hypotheſin: *Si non datur Deus*. orthodoxum eo modo quem explicavi illa poſſe uti, nemo, qui quid orthodoxum dici debeat non ignorat, negabit. Diſputat, uti notum eſt, in lib. de J. B. ex eadem *Hugo Grotius*, ſed ob eandem uſurpatam à doctiſſimis operis hujus cenſoribus virum non legi notatum; ab eodem tantum non rectè iſtam ad Jus Naturæ applicatam monent B. *Bœclerus* Com. Grot. p. 7. Dn. *Ziegler*. Not. in Grot. p. 7. Accuratus quoque pietatis & Theologiæ Grotianæ cenſor D. *Joh. Adam Oſiander* in Grot. p. 59. non ſolum non improbat in *Hugone Grotio* hypotheſin *Numinis non exiſtentis* in orbe, ſed ex eadem aſſumta, qualis ſit boni & mali ratio ipſe diſputat. Ita *Clemens Alexandrinus* 4. Strom. f. 532. diſputat ex hypotheſi, *ſi quis à Deo acceperit poteſtatem faciendi ea quæ ſunt prohibita, citra ullam pœnam*, & ſic ex non data divina juſtitia vindicativa. Hos omnes, aliosque complures æque orthodoxia atque eruditione clariſſimos viros *ſtolide philoſophari* oporteret, ſi apud ſapientes dictatoria *Puſendorfii* dica locum obtineret. Inſtat verò Vir Celeberrimus: *Quando præſtiterat, iſtam hypotheſin planè damnare & proſcribere, ac improbam juxta & ſtolidam curioſitatem ducere, anxie inqui-*

inquirere de conditione creaturarum ſublato creatore, de indole effectus ſublata cauſa. Sed hoc eſt uti gladio Alexandri ad ſolvendum nodum. Judicent autem eruditi, annon facilius & felicius contra adverſarium diſputatio procedat, quando ſuis hypotheſibus ad hominem retentis oppugnatur, quam ſi illis, falſis licet aut abſurdis, rejectis novæ diſputationi occaſio præbetur. Quanquam verò abſolutè disquirere velle de natura rerum, ſub hypotheſi *ſi non datur Deus*, nos minimè probémus, & de tali ſpeculatione idem ferè dici queat, quod alicubi *Plinius* ait: *Mundi extera indagare, nec intereſt hominum, nec capit humana conjectura mentis*; quo minus tamen contra illos qui eadem utuntur ex ea καὶ ἄνθρωπον, & prout leges bonæ diſputationis efflagitant, diſputemus, nil videtur obſtare. Fallitur quippe *Pufendorf.* cum ait, *inquiri de indole effectus ſublata cauſa.* Ratio enim cauſæ efficientis & effectus, item dependentiæ, non ingreditur conceptum eſſentiæ rei in præciſione iſta ſpectatæ, quæ ab illa abſtrahit, uti jam in Disquiſ. p. 309. dictum, cum res à nobis ratione veritatis ſuæ, quæ in ſe fixum quid & immutabile eſt, cum non quidlibet quodlibet eſſe poſſit; atque, ut ita loqui liceat, ratione connectibitatis requiſitorũ eſſentialium formalis, ex interna illorum congruentia ad hanc præcisè eſſentiam per ſe definita, exortæ, non verò ratione exiſtentiæ, ad quam dependentia pertinet, in hac conſiderentur quæſtione. Nec agitur de eſſentiis, ut habent effectus rationem, ſed potius quomodo illæ ſe habent ratione veritatis ſuæ, qua ad certam & determinatam eſſentiam, hominis v. c. certa & determinata requiſita eſſentialia ſunt

necel-

neceſſaria, quorum naturalis mutuaque ad invicem habitudo, non quocunque modo, ſed determinata quoque ſe habet ratione, ob illam ipſam quam habent indolem, naturam ſc. talem, & modo datam rationem, quod ſc. non ex quolibet fieri poſſit quodlibet. *Nec deformare licet conditionem humani generis ſub illa hypotheſi:* Si non datur Deus; cum veritas rei ſit immutabilis, ita ut ſimpliciter implicet contradictionem, hominem aliud, quam rationale eſſe animal, & homo non rationalis ſit non ens, fictum quid & falſum. Pergit autem ulterius: *Deniq; concurſus ille principiorum, quæ* (ſecundum ſc. meam mentem) *ex ſe dant eſſe morale, ſi Dei voluntate conſtitutus eſt, noſtra* (Puſend. ſc.) *propugnatur ſententia; ſi aliunde ortus feratur, oſtendatur ejus origo; ſi deniq; à ſe ipſo citra concurſum Dei aut alterius cauſæ extitiſſe ſtatuatur, jam etiam ſi Diis placet credemus, hunc mundum ex concurſu fortuito atomorum in tantam pulchritudinem ſurrexiſſe.* Sed ſalva res eſt, doctiſſime Puſendorfi. Non enim fortuitus fingitur conditionum, ex quibus unitis eſſe morale conſurgit, concurſus: Non etiam voluntate Dei conſtitutus idem negatur; congruentiam ſaltem iſtam illorum principiorum, quam veritas τȣ̃ eſſe moralis exigit, & quod hoc ex illorũ unione formaliter conſurgat, etiã ipſam Dei voluntatem antecedere contendimus. Hoc autem inde ortum eſt, unde ortum, quod triangulum tres requirat angulos, aut quod duo contradictoria nõ poſſint ſimul eſſe falſa. Addit p. 13. *Abſtrahere equi-*

dem & præſcindere in Philoſophia licet, ſeu ex pluribus natura conjunctis unum conſiderare non conſideratis reliquis; non tamen ut præciſo antecedente, conſequens ab hoc naturaliter dependens etiam citra idem ſubſiſtere fingas; ſeu ut negata cauſa effectum nihilominus ſuſtinere velis. Atqui nec hoc facio: Nec de rei *ſubſiſtentia* quæſtio eſt, cum præciſa dependentia naturali, præciſa etiam ratione effectus, ſaltem de re qualis ſit ratione veritatis formalis ſeu eſſentialis, mihi ſermo ſit, quàm concipi non concepta dependentia, & præciſo reſpectu ad cauſam efficientem, non repugnat. *Fraudis* denique à me, uti putat, commiſſæ opinio per vocabulum *libere*, ex mera proficiſcitur ſuſpicione, cum iſtam contra quam proteſtatur Dn. *Puſendorf.* ſententiam, niſi ipſe illam ſibi tribuerit, à me illi imputari non meminerim.

§.7. Propius Idem §.6. accedit ad examinandum, ſeu potius improbandum, *an aliquid antecedenter ad divinam voluntatem; vel præciſa eadem in ſe bonum vel malum dici debeat?* Si verò qualia, quæ contra nos diſputantur, ſint intueamur, apparet ſecundum Character. *Theophraſt.* p. m. 4. quando *Cavillatores cum facta, tum dicta aliorum in deterius fingere* ſcribit, virum celeberrimum non ſine cavillis (quod pace tamen illius dixerim) rem gerere, qualis eſt quando ait: *Miram audaciam, Vasquio non aſſurgere, & conſtantiæ divinæ tam multum deferre! Niſi fortaſſe ideo non ampliùs deſultoria quadam levi-*

tas

taſin Deo metuitur, quia jam magno cum ſupercilio definitum fuit quid Deum deceat: Non enim majus mihi ſupercilium, quod *de eo quod Deum decet*, aliquando diſputavi, objici poteſt quam *Paulo*, qui Ebr. 2. 10. ita loquitur, cujus verba iſta diſſertatione, quæ perſtringitur, explicatum ivi. ἔπρεπε γὰρ αὐτῷ δι᾽ ὃν τὰ πάντα &c. inquit Apoſtolus. Item quando ſic pergit p. 14. *Quare ergo hypotheſin iſtam Zentgravius propugnat? Amore veri, & ut oſtenderet, huic univerſo decus, generiq; hominum honeſtatem morum conſtare poſſe; ſi vel maximè Deus non detur. Hoc quippe eſt verum illud, cujus amor tantopere homines iſtos urit:* cavillatio manifeſta eſt. Neq; enim mihi in mentē vel hoc, vel iſtam *hypotheſin propugnare* venit, qui contra Scholaſticos potiſſimū, infruniti Indifferētiſmi autores, diſputans, aſſumta ad hominem illorum hypotheſi, diſcrimen naturale honeſtorum & turpium nō conſequenter tantū ad divinam voluntatem ſe habere oſtendere volui, non ignarus, non dato Deo, nihil in hoc univerſo quod à Deo depēdet actu exiſtere poſſe. Inſignis autem Viri præcipitantia apparet, quando *oportet*, inquit, *horribilem belluam eſſe illum Indifferentiſmum, Aſinii Tenebrionis* (de quo vid. *Pufend.* Specim. Contr. p. 145.) *fœtum, quod is ex fundamento deſtrui nequit, ni ſupponatur, Deum non dari.* Quis hoc enim unquam dixit? cum iſta hypotheſi fuerim uſus, ut ad Scholaſticorum diſputandi methodum me accommodans, illorum ſententiam examinarem. *Aſt*, inquit Dn. *Pufendorf. ego credi-*

deram, quò magis de voluntate Dei legem naturalem ſancientis conſtiterit, eò majorem actionibus moralibus neceſſitatem adferri, eoq; magis indifferentiam tolli: Verum de neceſſitate conſequentiæ, & indifferentia externa, uti hoc concedo, ita de neceſſitate conſequentis, & indifferentia interna nego. Reliqua quibus contra Indifferentiſmum ſibi imputatum proteſtatur, ad me non pertinent, quia iſtam controverſiam meam non facio. Diſputarim autem licet contra Indifferentiſmum, *Vaſquii, Rhatorfortis, Szydlovii, Rada, Caramuelis* impium delirium, nolim tamen Dn. *Pufendorf.* ceu in ſe dicta accipere, quæ contra illorum impietatem diſputantur, & hoc nomine in me excandeſcere. Dictum præterea fuit à me in Prooem. per τὸ *antecedenter non fingi hoc nomine Ideas extra divinum intellectum exiſtentes, quas leges naturales laturus Deus intueri debuit, cum quæ ſit alicujus rei idea ex ſe ſciat Numen eminentiſſimum & ſapientiſſimum.* Reponit verò *Pufendorfius*: *Atqui cur iſtoc ex ſe ſcit Deus, niſi quia divina voluntas cuiq; rei ſuam indolem aſſignavit?* Sed audiat B. *Hulſemannum* Brev. c. 4. ſuppl. §. 10. *Deus quidem nihil cognoſcit invitus; non rectè tamen dicitur à Calviniſtis & Dominicanis: voluntatem Dei determinare ſcientiam ejus objective, id eſt intellectui proponere, ut hanc rem à ſe decretam incipiat cognoſcere.* Non aliter B. D. *Dannhavverus* Hodom. Calv. tom. I. p. 768. *Poſt ſcientia voluntate divina poſterior, prorſus eſt intolerabilis, atq; cerebrigena, adverſa eſt ſacris literis & ſacræ rationi.* Cætera quæ habet uſque ad §. 7. animum viri exulceratum, & ex mera ſuſpicione planè iniqua præcipitem produnt, cum in alios dicta ad ſe pertinere putat, contra ea, quæ in Diſquiſ. p. 308. 357. & alibi diſputantur.

§. 8. Inde

§.8. Inde tranſit ad quæſtionem de *humanæ naturæ immutabilitate*, cujus in hac de origine moralitatis & J. N. uſum in Diſq. pag. 44. ſeq. oſtendi; cumque meam de hac controverſia mentem in Diſquiſitione p. 35. ſeqq. exhibitam, ceu *ſapientiæ ſeraphicæ abyſſum*, pro angelica ſua humanitate exagitaſſet, p. 16. ſe dudum aſſeruiſſe ait, *Deum dum decrevit hominem creare, non potuiſſe non creare animal rationale. Addidiſſe rationem planiſſimam; quia alias ſibi ipſe contradixiſſet. Amphora cœpit inſtitui, currente rota, cur urceus exit?* Bene hoc quidem; ſed diſtincta non ſunt confundenda, nec ſubordinata opponenda. Aliter quippe formatur quæſtio, ſi dico: Deus conſtituit creare hominem, ſeu animal rationale: hic enim homo, ejuſque natura ſe habent non niſi conſequenter ad voluntatem Dei, creaturusque Deus hominem, neceſſario eum creat animal rationale, ſiquidem ipſe ſibi conſtare velit, cum hominem conditurus, non aliud, nec aliter, quam rationale animal condere conſtituerit. Alia autem eſt quæſtio: An cum homo, ut verus homo audiat, ſit animal rationale, aliã requiſitorum eſſentialium combinationem & unionem velle Deus potuerit, ut inde prodiens æquè verus fuiſſet homo, atque is eſt, quem animal rationale condere conſtituit, id quod nos negamus. Nam ubi diverſa eſſentialia, ibi diverſa natura; ubi diverſa natura, ibi diverſa ſpecies: Impoſſibile autem eſt, & implicat contradictionẽ, diverſas ſpecies eſſe unam eandemq; ſpeciem v. c. hominis. Non enim ex quolibet fieri poteſt quodlibet, ſed ut verum quid ſit, & tale quale ſua na-

tura eſſe debet, certa & determinata ſe habet ratione, etiam præciſo ita determinante divinæ voluntatis actu: ſicut triangulum omni voluntatis divinæ ita decernentis actu præciſo, ex tribus conſtat formaliter angulis. Si itaque ante divinæ voluntatis ita determinantis actum homo recte definitur, quod ſit animal rationale, uti *triangulum* v. c. *æquilaterum* dicitur τὸ ἔχον τρεῖς ἴσας πλευρὰς, *quod tria habet æqualia latera*, ut loquitur *Euclides* Elem. I. ad eandem antecedenter; ratio quoq; formalis hominis, ejusq; veritas, eodem ſe ad divinam voluntatem ordine habebit: Nam quæ ratio veritatis trianguli æquilateri, eadem etiam humanæ eſt naturæ. Sin autē non ita poſſit homo, quod ſit animal rationale, definiri, niſi prius ita Deus determinaverit, atq; voluerit eum tale animal eſſe, ita ut cauſa hujus veritatis, homo eſt animal rationale, ſit voluntas tantum: jure queri poteſt, qualis ſit ille divinæ voluntatis ita ſpecificantis actus, an liber? an neceſſarius? ratione ſc. talis determinationis atque ſpecificationis. Neceſſarius dicet D. *Pufend.* quia *alias Deus ſibi ipſe contradixiſſet:* rectè quidem, uti Diſquiſ. etiam p. 357. dicitur, ſed non plene, quia hæc conſequentiæ tantum eſt neceſſitas, quæ rei contingentiam in eſſendo, & modo eſſendi, de quo tantum loquimur, non tollit: qualem contingentiā & mutabilitatem nos omnino negamus, veritatemque rei ex ſe, non ideo præciſe quia Deus ita vult, id exigere, ut tali tantum, & non alio modo ſe habere queat, ſicut ex ſe trianguli æquilateri veritas id requirit, ut habeat tria latera æqualia. Et proinde cum hominem non eſſe animal rationale implicet contradictionem, ſicut eandem involvit, triangulum æquilate-

rum

rum non habere latera æqualia, non tantum contra ſuum decretum, ſed etiam contra rei veritatem, quæ ad ipſius decretum ſe antecedenter habet, ageret Deus, ſi aliud quam rationale animal hominem, qui æquè vere talis eſſe deberet, atque is eſt quem animal voluit eſſe rationale, vellet condere. *Decretum* itaque eſt ratio à priori productionis: *Veritas* autem ultima ratio à priori productionis talis, ratione ſc. ſpecificationis. Et divina illa deſignatio pertinet ad eſſentiam non præciſe, ſed ut eſt producenda; uti nec divinæ deſignationi effectivè dicuntur ſubjici, quæ contradictionem debent involvere, & quæ non debent. Aliter ſentiendum, ſi loquimur de eo, quod Deus conſequenter velit, deſignet atq; probet. Recte quoq; vir Doct. addit, *in confeſſo utrinq; eſſe, creationem hominis quoad exercitium actus à libera Dei voluntate proveniſſe*: Controverſia enim eſt de ſpecificatione hominis, & veritate hac, quod homo ſit animal rationale, quam talem eſſe dicimus, non quia Deus ita vult, ſed quia veri ratio, quod fict oopponitur, ita requirit, ſicut veri trianguli ratio tresangulos, & linea longitudinem abſque latitudine poſtulat, ita Deum ſic velle recte dicimus, ſalva interim omni rerum dependentia. Ait quidem p. 17. *Ponamus & id tantiſper, Deum dum hominē creat, contemplatum fuiſſe aliquam rationem exemplarē, aut ideam: ſicut homines ad archetypum aliquem ſua opera formare ſolent*: Sed hæc ratio exemplaris non eſt aliquid extra Deum; verum Deus ſuam omnipotentiam, omniſapientiam, divinamque etiam intellectionem, qua ex infinitudine perfectionis ſuæ res poſſibiles, quales eſſe debeant,

ut verum non fictum quid ſint, cognoſcit, comprehenſive cognoſcens, intuetur quoq; hoc ipſo naturaliter rationes exemplares, uti cognoſcit ea quæ implicant contradictionem, vel quod *punctum* ſit, *οὗ μέρος οὐθὲν, cujus nulla datur pars*, ut *Euclides* definit. Quando verò *non*, inquit, *ſequitur; Dei intellectus non dependet ab ejus voluntate, ergò ab exemplaribus rerum rationibus voluntas Dei excluditur, aut illæ plane absque eadem proveniunt*; non memini me hac loquendi formula: *Voluntas Dei à rebus excluditur*, uti, quam proin ad præcidendam cavillandi occaſionem, in hac omitti diſputatione par eſt. Quod enim à voluntate Dei præſcindit, vel ad eandem antecedenter ſe in conſequendi ratione habere dicitur, non propterea ſtatim ita ſimpliciter dici debet illam excludere. Rem ipſam verò quod attinet, uti, quæ ſequi negat, de exemplaribus, quatenus ſunt divinæ mentis conceptus de rebus creandis concedo, ita quatenus ſunt rerum præciſè in ſe poſſibilium, & intelligibilium, nego. Addit quidem: *Nam ideæ iſtæ, rerum creandarum formas exprimentes, non utiq; velut ultro intellectui divino ſeſe potuerunt offerre*; *non magis, quam aliqua res ſe ipſam creare potuit*. Bene. Nam ita ſtatuere, vel quod Deo aliquid incidere poſſit, uti hominibus ſæpe numero nil cogitantibus accidit, eſt vere delirare. Quod verò infert, *ideo iſtas ideas revera præſuppoñere decretum voluntatis divinæ, de talibus rebus libere creandis*, id ſequi nego, cum naturaliter, & ſic ante decretum voluntatis, quod

ſcientia

ſcientia *libera* demum ſequitur, ex intellectus ſui infinitudine, qua quid, & qua ratione aliquid fieri poſſit & debeat æque novit, atque ſuam eſſentiam cognoſcit, ſciat Deus quæ, & quales rerum naturæ eſſe debeant, ſapientia has ei naturaliter, non poſt voluntatis actum demum dictitante, uti ea etiam Deo quę contradictionem implicant, & quæ talia non ſunt dictitat, quæ proinde cum ſemper cognoſcantur, uti ſemper ſe Deus intuetur, *non velut ultro intellectui ſe divino offerre* jure dici poſſunt. Cumq; hic non loquamur de ſcientia Dei *libera*, ſed naturali, gratis dicitur, *præſupponi decretum voluntatis divinæ de talibus rebus libere creandis*, ceu quod de illa tantum affirmare licet. Pergit: *Equidem rerum jam exiſtentium ideæ intellectui creato ſe ſe velut ultro inſinuant: Aſt unde primæ omniũ rerum cauſæ idea rei nondũ exiſtentis offerri queat, niſi præſuppoſitâ voluntate talem rem producendi, ſane intelligi nequit.* Sed nolo hic vocem *ultro* cavillari: Id dico, præter *liberam*, quam tantum Dn. *Puſendorf.* concedit, etiam dari ſcientiam Dei naturalem, qua objectum poſſibile ante omne voluntatis decretum liberum cognoſcit, quaque ſuam naturaliter intuens ſapientiam, in ea neceſſario videt omnium rerum nondum exiſtentium, ſed adhuc, imo tantum poſſibilium, ideas, ante omnem voluntatis actum. En Vir doctiſſime: Docet & demonſtrat *Archimedes* de Sphær, & Cylindr. f. m. 19. *ſi fuerint duo coni æquicrures, fueritq; alterius ſuperficies baſi alterius æqualis, fuerit item linea recta, quæ à centro dictæ baſis ducta ſit ad latus coni perpendiculariter æqualis altitudini alterius coni, illos conos*

 æquos

æquos eſſe neceſſe eſt: Putaſne, antequam conus exiſteret, primæ rerum cauſæ ideam hujus veritatis non fuiſſe oblatam, niſi præſuppoſita voluntate talem rem producendi? Simile eſto judicium de veritate rerum moralium, aliarumque. Relinquitur hinc verum eſſe *antecedens*, quod *falſum* in *Spicilegio* pronunciatur. Addit p. 18. *Præterquam quod ſapientia Dei in ordine ad ſua opera, ſeu quando aliquid ſapienter à Deo factum dicitur, absq; voluntate intelligi nequit. Sapienter enim non agit, niſi qui voluntario agit.* Sed confundit actus Dei externos, qui liberi ſunt, cum actib⁹ Dei internis eſſentialib⁹ & neceſſariis, qualis eſt intelligere, quod eſt actus Dei naturalis, velle illius antecedens. Unde *Scaligero* Exercit. 307. ſ. 3. p. m. 923. *Voluntas dicitur intellectus extenſus ad habendum aut faciendum, quod cognoſcit.* Nec quæritur, an ab eſſe *facto* voluntas Dei excludi debeat, quod nemo ſaniorum dixerit; de ordine actuum Dei internorum quæſtio eſt, quem recta dictat ratio, noſtrique probant Theologi, Patres etiam Eccleſiæ. *Inſipida* quidem dicitur eſſe *explicatio illa, ſapientiſſimè, id eſt eſſentiali, & per conſequens immutabili rerum perfectioni convenienter.* Ratio: *Sapientia quippe divina ex præſtantia operum abs ſe productorum æſtimatur; non quod illa ad eſſentiales rerum perfectiones ſeſe attemperet, quæ utiq; ab iſta promanant*: Sed ex ſubordinatis facit oppoſita, cum ex poſteriori prius ſequatur. Omnino enim hoc ſapientiæ divinæ conveniens creditur, quod triangulum

Deus producturus, non aliam figuram, quam quæ tribus conſtet angulis, produci poſſe judicat. Diſquiſ. p. 338. Mox quærit: Unde illa immutabilis & æterna requiſitorum eſſentialium connexio orta, *niſi à divina voluntate? niſi forte eſſentias illas à ſe ipſis ortas comminiſci velim.* Remove actualem rei productionem, & ſal va res eſt. Inde enim illa connexio ad veritatem rei neceſſaria oritur, unde quod bis duo ſint quatuor oritur, cujus veritatis Dei voluntatem cauſam eſſe antecedenter, nec ipſe *Pufendorfius* dixerit. Reliqua verba: *Talis unaquæq; res eſt, qualem creator voluit, qui & aſſignatam ſemel rebus indolem conſtanter ſervat, quoad hanc rerum naturam non tollit: & quia non poteſt non intellectui divino repræſentari, quod à Deo decretum aut factum:* à nobis non negantur, cum ſubordinata non ſint oppoſita; ut & quando p. 19. dicitur, quod *dependentia rerum, cum ſe non habeat per modum neceſſariæ emanationis, voluntatem divinam non poſſit non involvere.* Dependentia enim iſta non pertinet ad formam rei præciſe, ejusque veritatem, de qua jam loquimur, ſed ad ordinem cauſæ efficientis, à quo voluntas Dei minime excludi debet; cauſa efficiens autem terminatur ad rei exiſtentiam, à qua jam præſcindimus. Pergit: *Nec vera eſſet hac propoſitio, homo eſt animal rationale, ſi Deus nunquam hominẽ creare decreviſſet.* Ego verò contradico, quod æquè vera futura fuiſſet hæc propoſitio, *homo eſt animal rationale,* ſi datum fingamus caſum, atq; ſi *Oxygonion*

eſſe

eſſe dicitur ab *Euclide, τὸ τρεῖς ὀξείας ἔχον γωνίας, quod tres angulos acutos habet*, ſi vel maximè nullum unquam in rerum natura Oxygonion fuiſſet, vel nunquam Oxygonion Deus producere decreviſſet, non enim ex quolibet fieri poteſt quodlibet, ut idem revera ſit: & quod non niſi recte fieri poteſt, non poteſt fieri quocunquemodo, ut ſæpius inſinuatum. *Si circulo*, ait ſubtiliſſimus *Archimedes* l. 1. f. m. 3. *figura plurium angulorum circumſcribatur, linea recta quæ ex omnibus figuræ circumſcriptæ lateribus ſimul in directum conjunctis efficitur, ipſius circuli circumferentia longior eſſe probatur*: verum hoc foret de circulo & figura intelligibili, ſi vel maximè nullus unquam in rerum natura circulus fuiſſet; ita de homine ut eſt merum intelligibile quid, verum eſt quod ſit animal rationale, ſi vel maxime nullus unquam in mundo homo fuiſſet: & angelus tum dicens: Homo eſt animal rationale, verum utiquè dixiſſet. Sin verò de exiſtentia loquitur *Pufend.* theſi non contradicit. Quærit verò ulterius: ***Num naturæ nondum conditæ, & antequam de iis producendis à Deo decerneretur, potuerint ſibi ipſis jus aliquod & velut competentiam tribuere, ut tales utiq; abs Deo creandæ decernerentur***: Sed idem quæri poteſt de iis quæ implicant contradictionem, de triangulo &c. eademq; reddi reſponſio, cum veritatis humanę naturę par ratio ſit; quæ autem contradictionem implicant, talia ſunt antecedenter ad divinam voluntatem, citra ullam competentiam. Loqui verò de humanitate, & aliud quam rationale animal intelligere, contradictionem in ſe involvit. Sed Dn. *Pufendorf.* ***numquid ergo***, inquit p. 20.

illa

illæ res divino intellectui ultro ſe objiciunt, ſicut rerum natura jam condita ſenſibus humanis ſe ſiſtit. Moleſtum eſt eandem rem toties repetere. Dixi enim jam ſupra, eſſe rerum, de quibus hic loquimur, à nobis tantum ſpectari, ut eſt quid cognoſcibile; proinde non neceſſe eſt, ut *ipſæ res ultro ſe objiciant intellectui*, cum Deus comprehenſive ſuam ſapientiam & potentiam cognoſcens, cognoſcat quomodo aliquid fieri debeat & poſſit, etiam nondum exiſtens, etiam nunquam exſtiturum: Cumq; hæc cognitio non libera in Deo, ſed naturalis & eſſentialis ſit, non conſequenter ad ipſius voluntatem, ſed antecedenter ſe habet. Bene *Thomas* I. q. 14. art. 5. *Sophiſta* licet *Pufendorf.* dicatur: *Alia à ſe videt Deus, non in ipſis, ſed in ſe ipſo, in quantum eſſentia ſua continet ſimilitudinem aliorum ab ipſo.* Id autem lubens concedo, quod *eſſentiæ rerum absq; voluntate Dei non proveniant*, aliud enim eſt loqui de eſſentiarum veritate, & formis rerum, aliud de earum origine, prout cauſam efficientem hæc notat, ad. *Diſq.* p. 338. ſeq. Concedo etiam *quod Deus non poſſit non opera ſua cognoſcere, ſeu producta jam, ſeu producenda, & quod hinc circa eſſentias cognoſcendas aberrare non poſſit*, cum ſcientia Dei *libera*, non tollat ſcientiam Dei *naturalem*.

§. 9. Nec quando ita diſputo, pruritui obtempero ingenii, qui à me longiſſime abeſt, ſed ſanæ rationi: Video etiam B. *Auguſtinum*, & præſtantiſſimos quosque Theologos noſtratium ſic diſputare, quos majoris facio, quam ut cum Dn. *Pufendorf.* B. *Auguſtino Splendidas*

das Platonicorum nugas objicere ſuſtineam: Minus potius, cum ſummum hunc virum ita tractet, moveor, quod *frivola* ipſi videantur, quæ vel à me, vel ab aliis contra ipſius ſententiam diſputantur. *Suo quippe quisq; ſtudio maximè ducitur*, uti loquitur *Cicero* 5. de Finibus.

§. 10. Rectè proin *rejicitur* denuo *ſententia Puſen.* recteque *ex eo, quod Deus hominem liberrime condidit, ſequi* negatur, *in beneplacito Dei* veritatẽ rei ſc. antecedente *fuiſſe, qualem homini velit naturam aſſignare, ita ut hanc, qua jam gaudet, naturæ conditionem Creator homini liberè attribuerit*, diſtinguatur modo inter libertatem exercitii, quod quin voluntati divinæ ſubjici debeat, dubium non eſt, & objecti ſpecificationem, ut eſt v. c. productio hominis, plantæ, circuli, &c. Hujus ratio à dictaminibus divinæ ſapientiæ, quatenus voluntatis decreto ſunt anteriora, provenit, conſequente & approbante divina voluntate, cujus decreta ſpecificantia à dictaminibus divinæ ſapientiæ abſoluta non ſunt, nec illis priora. Principium enim agendi modum indicans & dirigens, ordine ſe prius habet principio imperante & exequente, qua tali. Repeti quoque hoc loco debet, quod non de ſcientia Dei libera, ſed naturali rurſus loquamur. Bene quidem p. 21. *ſane cum Deus*, inquit, *quem nulla utiq; neceſſitas ad creandum hominem cogebat, conſtituiſſet nobilius brutis animal condere, non potuit quidem non iſtud fini, quem circa id ſibi propoſuerat, conforme creare; quia alias ſibi*

ſibi ipſe repugnaſſet. Neq; ulla tamen hic apparet neceſſitas, quæ non à divinæ voluntatis ſuppoſitione proveniat, aut quæ eandem excludat: Sed nos jam non loquimur de divino inſtituto nobilius brutis animal creandi, quod divinam voluntatē nullo modo excludere poſſe & ipſe contendo; non etiā de eo quæritur, ad quod Deus tenebatur ex neceſſitate & ratione finis, quem ſibi propoſuerat, quod itidem voluntatis eſt; nec denique de nobiliori brutis animali, quocunque modo, & confuſe ſpectato quæſtio eſt. Conceditur enim & hoc, cum perfectionis & nobilitatis varii dentur gradus, divinę voluntatis eſſe determinare, quali perfectionis gradu aliquid velit condere. Quod verò hoc nobilitatis eſſentialis punctum hæc ſibi definite & diſtincte depoſcat natura v. c. humana, atque talem præciſe requiſitorum eſſentialium, animalitatis nimirum & rationalitatis combinationem requirat, id ſic ſe antecedenter ad divinam voluntatem habere dicimus; hoc eſt, non quia Deus vult, ſed quia ita naturæ humanæ veritas ſe habet, Deus ita vult, rectiſſime omnia volens. Sin autem ideo tantum homo foret animal rationale, quia Deus ita voluit, & *propoſitio hæc: Homo eſt animal rationale, non vera eſſet, ſi Deus nunquam hominē creare decreviſſet*, uti p. 19. loquitur Dn. *Puſendorf.* quæſo, annon inde ſequitur vel hoc: Poſſe Deum abſolutè velle hominem, hoc eſt animal rationale creare, quod tamen aliud quam rationale animal ſit; vel hoc: Poſſe eundem velle, ut homo ſit verus quidem homo, aliud tamen, quam rationale eſſe obtineat; nam neceſſitas quam contra objicit *Puſendorf.*

eſt

tantum *conſequentiæ*, ex poſitione liberæ Dei voluntatis, quoad talis ſpeciei deſignationem, & talium eſſentialium attributorum connexionem, quę rei mutabilitatē non tollit. Sed illud implicat contradictionē; hoc repugnat rei veritati, notatq; hominem fictum, non verum. Si neutrum Deus velle poſſe dicitur, relinquitur hominem non ideo ratione veritatis ſuæ, uti ficto opponitur homini, eſſe animal rationale, quia Deus antecedenter ita voluit; nec hanc propoſitionem: *Homo eſt animal rationale*, ideo eſſe à priori veram, quia eidem ita placuit; ſed quod hominem, qui verum quid eſt ante productionis decretum, producere volens non aliud quam tale animal eſſe velle poſſit, cum rationalitas & animalitas ſint combinabiles formaliter, & debeant combinari ad veritatem animalis rationalis, ante actualem divinæ voluntatis deſignationem. Idem licet de veritate virtutum moralium, Temperantiæ, Juſtitiæ, Pietatis &c. dicere, quæ cum à Deo mutari ex ſumma perfectione non poſſint, antecedenter ad ejus voluntatem dicuntur eſſe id quod ſunt, uti *παντὸς τριγώνου, αἱ δύο πλευραὶ: τῆς λοιπῆς μείζονές εἰσι, πάντη μεταλαμβανόμεναι*, *omnis trianguli quævis duo latera, ſunt majora reliquo*, uti loquitur *Euclid.* El. I. prop. 20. non ideo præciſe & à priori, quia Deus ita voluit, ſed antecedenter ad divinam voluntatem. Quare cum inſuper neceſſitatem conſequentis hac in re urgeamus, quæ de *neceſſitate* conſequentiæ *ex divinæ voluntatis ſuppoſitione* vir habet doctiſſimus, ceu quæ à nobis conceditur, nobis non adverſantur. Ridiculum autem eſt, *planè abſurdum* Eidem *videri*, quod de individuo

dividuo aliquo hoc concedam, *Deum, uti libere illud hominem condidit, ita ſi voluiſſet, brutum condere potuiſſe.* Nonne enim gratias agis Deo, quod ſis animal rationale, tam eximiis donis ornatum, non v. brutum? Ego ſane puer didici ex Catechiſ. min. explicat. Art. I. Symb. Apoſtol. *Deum mihi rationem dediſſe ex mera ſua paterna ac divina bonitate & miſericordia* &c. Minimè verò ſequitur, quando ſic infertur: *Atqui cum & Adamus fuerit individuum, & quicquid hominum uſquam extitit, aut extiturũ eſt, individua ſint, ſane ſi Deus omnia illa individua bruta condere potuit, etiam hominem brutum condere poluit. Et quod in omnia individua cadit, quo jure ſpeciei idem denegabitur?* Non enim loquor de individuo qua ad certam ſpeciem jam eſt determinatum, ſed qua adhuc eſt determinandum: Ibi quod in omnia individua, ut rationem ſpecificam implicant, cadit, jure ſpeciei non denegabitur: hic vero, cum ad certam ſpeciem idem nondum eſt determinatum, conſequentia fallit. Quæ de ſuppoſitione *decreti divini, utiq; voluntarii* dein habet, ſupra jam ſunt diſcuſſa: Quemadmodum jam & ſupra reſponſum eſt ad quæſtionem, quando p. 22. quærit: Unde ſint iſtæ naturæ, (quæ ſc. dicuntur immutabiles) *aut unde immutabilitatem habeant*? nimirum non à ſe, ſed inde unde trianguli veritas immutabiliter requirit tres angulos, hoc eſt *ex ſe*, ſicut ea quæ implicant contradictionem ex ſe talia eſſe dicuntur. Unde relinquitur bene reſonare quæ *ſine mente ſonum dare* ſibi *Puſendorf.* videtur audire; & uti ex dictis ve-

D rum

tum relinquitur *antecedens*, quod ille ibidem *falſum* eſſe fingit, ita & *conſequens*.

§. 11. Pergit inde vir Clariſs. §. 10. ſententiamque meam de *origine moralitatis*, quodque doceo, non quia Deus voluit v. c. prohibere idololatriam, malam hanc, ſed quia odio digna eſt per ſe talem, prohibitamque eſſe; & quod diſcrimen honeſtorum & turpium à divina juſtitia & ſanctitate potius, ceu prima ratione & fundamento, & ſic antecedenter ad divinam voluntatem, peti debere cenſeo, non uno nomine exagitat, cũ tamẽ ipſe Deus veritates morales in ſua ſanctitate fundatum eat, *ut ſimus ſancti, ſicut ipſe ſanctus eſt*, Lev. 19. 23. in miſericordia, *ut ſimus miſericordes; ſicut ipſe miſericors eſt*, Luc. 6. 36. Negatque hæc conſequi: *Sapientia, ſanctitas, & juſtitia Dei, juxta quas creaturarum motus diriguntur, non ſe habent conſequenter ad voluntatem Dei; ergo nec moralitas actionum humanarum*. Id quod ſic probat: *Etſi enim ſapientia & juſtitia Dei non ſint ab ejus voluntate: ut tamen exiſterent creaturæ, quarum motus ad ſapientiam & juſtitiam Dei exigi poſſent, voluntatis divinæ actus utiq; præſupponitur*. Quaſi vero infinitæ ſapientiæ & ſcientiæ Numen non poſſet ſcire, qui rerum in ſe poſſibilium motus ad ſapientiam & juſtitiam ipſius exigi debeant, niſi prius illas creare ſecum conſtitueret. Taceo conſequentiam hanc: Creaturæ & illarum motus non exiſtunt abſque actu divinæ voluntatis: Ergo moralitas quoque iſtorum motuum non eſt ratione veritatis ſuæ concipienda ante divinæ voluntatis definitionem; petere principium. Illud

verò lubens concedo, *quando ſane*, inquit, *erat Deus juſtus, ſanctus, ſapiens, etiam antequam nulla creaturæ exiſterent, quæ ad earum perfectionum dictamen motus ſuos dirigere poſſent; eoq; ut iſtæ perfectiones divinæ actu regulæ agendorum eſſent, neceſſarium non erat, niſi poſita voluntate producendi creaturas mentis capaces. Adeoq; ut ſapientia & juſtitia Dei innoteſcat, actuq; ſe exſerat, & ut extent, qui eandem imitari queant, id utiq; à voluntate Dei eſt*; cum mea ſententia de veritatibus moralibus antecedenter ad divinam voluntatem talibus, quas archetypum ſuum in dictis perfectionibus Eminentiſſimi Numinis habere contendo, per iſta diſputata non tollatur. Ita; nec ab actuali *deſignatione humanæ naturæ voluntatem divinam excludi* poſſe dicitur, cum veritas ſaltem rei à voluntate Dei actu deſignandæ, ad illam ſe antecedenter habere affirmetur; uti ſæpe diximus, ab actuali trianguli, quod tribus conſtet angulis, deſignatione voluntatem Dei neſcire equidem excludi, habere ſe tamen hanc veritatem antecedenter ad eandem. Sed ex his aliiſque objectionibus, patet verum eſſe illud *Saxonis Gram.* Hiſt. l. 2. *ſegniter deſerere animum, quicquid ſolido amore fuerit complexus*. Præterea quando in Diſquiſ. p. 100. diſtinxi *inter dictamina divinæ rationis Practica, quid Deum ex ratione bonitatis, ſanctitatis & ſapientiæ velle deceat*, (extat vox hæc Ebr. 2.) *dictantia, & divinæ voluntatis ſecundum hæc dictamina decretum; per hanc diſtinctionem voluntatem Dei à prima*

origine legis naturalis, etiam ut eſt veritas, ne quidquam excludi ait p. 24. Verum præſcindi ab illa rectius, quam eandem *excludi*, ſæpius jam diximus. Nec *proterve nimis Deus ad humanæ rationis modulum exigitur* ab eo, qui ſeparata omni imperfectione ſecundum analogiam ſpiritus de Deo judicat. Vide quæ eximie huc pertinentia docentur à *Damaſceno* de Orth. Fid. l. 1. c. 13. ubi inter alia ita loquitur: *Scire nos decet,* ὡς ἀνθρώπους ὄντας ἡμᾶς, *& craſſo carnis indumento circumdatos,* τὰς θείας καὶ ὑψηλὰς, καὶ ἀΰλους τῆς θεότητος ἐνεργείας νοεῖν, ἢ λέγειν ἀδύνατον, εἰ μὴ εἰκόσι καὶ τύποις, καὶ συμβόλοις τοῖς καθ' ἡμᾶς χρησαίμεθα, *minime poſſe divinas & ſubtiles & immateriales Dei operationes aut intelligere, aut eloqui, niſi imaginibus & formis, & ſignificativis noſtro more utamur ſignis.* Addit quidem: *Iam ſupra oſtenſum, nil intereſſe, utrum ea dictamina concipiantur per modum præcepti, &c: an ut congruentiam actionis cum ſubjecto exprimant: hoc hominis naturæ competit;* ſed & nos oſtendimus, omnino aliquid intereſſe. Quod verò iſta *dictamina intelligi non poſſe* contendat, *niſi præſuppoſito ſubjecto creato aut increato, cui actus convenire aut non convenire dicatur, abs quo utiq; voluntas Dei excludi nequeat*: id gratis dicitur, cum aliquid ad deſignandum quid ei conveniat, & non conveniat, non repugnet concipi ut poſſibile tantum, & ne futuribile quidem. Et quod concipitur tanquam objectum ſcientiæ Dei naturalis, non ſimul neceſſario tanquam objectum divinæ voluntatis una concipi debet.

§. 12.

§. 12. Continuatur hæc controverſia à viro Celeberrimo §. 11. etſi non feliciter. Specimen edit, quando *antecedenter ad ipſum Deum, divinamq; eſſentiam in ordine cauſalitatis ratione exiſtendi* aliquid *concipi poſſe*, inde vult inferre, *cum ex mente mea non nefas ſit aſſumere hypotheſin, ſi Deus non detur*. Sed cur hanc Scholaſticorum, & à meipſo non magni æſtimatam hypotheſin contra Scholaſticos, quique illos ſequuntur, aut cum illis loquuntur, adhibuerim, ſupra explicavi. Interim *Puſendorſiana* conſequentia nulla eſt; cum p. 234. *Diſquiſ.* inſtituta diſputatio ſit κατ' ἀλήθειαν; cum altera ex falſa illa Scholaſticorum hypotheſi: *Si Deus non datur.* ad hominem tantum qui ſe illa utitur, proficiſcatur. Taceo falſum eſſe, quod ſi vel maxime Deum nō dari fingamus, propterea in ordine cauſalitatis aliquid ad Deum antecedenter concipere liceat. Nam non data cauſa prima rei exiſtentis, non niſi contradictorie finguntur cauſæ ſecundæ. Cæterum citra cauſam Doctiſ. Viro *magnum adhuc* p. 25. *eſt dubium, num quæ nos concipere poſſumus, cum divinam eſſentiam ad noſtrum modulum animæ metimur, revera ita ſe habeant*: βλέπομεν γὰρ δι' ἐσόπτρου ἐν αἰνίγματι, uti *Paulus* 1. Cor. 13. 12. loquitur, vera tamen βλέπομεν. Spiritus enim eſt Deus, & noſtra anima etiam ſpiritus eſt, unde, licet ille infinitus, hæc autem finita ſit, omnino aliqua dabitur analogia, modo hanc, ſi ad Deum ſit applicatio, ab omni ſepares imperfectione perfectiſſimo & ſummo Numine indigna. Dubitat idem, *num fas ſit, intellectum divinum priusquam vo-*

luntatem concipere ſaltem hactenus, ut illa prioritas effectum aliquem in ordine ad res obtineat; verũ de effectu formali externo uti nego & ipſe, cum à tali voluntas Dei nunquã excludi debeat, ita de interiore exhinc ex ſapientiæ divinæ dictamine, ante divinæ voluntatis actum, in divino intellectu naturaliter ob infinitudinem illius, qua omnia poſſibilia nunquã etiam futura intuetur, exoriente rei, ratione veritatis illius, & quoad illa quæ ad ejus conſtitutionem bene & convenienter conjungi debent, cognitione, dubium mihi nullum eſt. Denique *negat aliquid eſſe poſſe objectum divini intellectus ante divinam voluntatem, ſi ſermo ſit, uti nobis eſt de Ideis rerum, quæ aliquando actu à Creatore condendæ fuerant*; verum de rerum ideis, non quidem qua ſunt rerum creandarum, ſed qua ſunt poſſibilium, & objectum ſcientiæ Dei naturalis, contrarium ſupra evicimus. Quod verò *non obſcure contradictionem implicare* Dn. *Puſendorſius* credit, *alicujus rei ideam, quæ revera à Deo condita eſt, intellectui divino velut obverſantem concipere, niſi decretum (qui voluntatis actus eſt) de eodem condendo ſupponatur*; vanum eſt. Non enim ut ſæpius dixi, loquimur de ideis rerum conditarum, & prout objiciuntur *ſcientiæ* Dei *liberæ*, quæ utique ſine divina voluntate concipi non poſſunt; ſed idea de qua jam quæſtio eſt, abſtrahit à rei productione, eſtque rei ut eſt poſſibilis, concernitque ejus veritatẽ, & internam requiſitorum eſſentialium, eamque definitam ad talem

lem pręciſe quidditatem convenientiam, quã immutabilem in ſe eſſe oportet, ni ſummam introducere velis confuſionẽ, cum non ex quolibet fieri poſſit quodlibet ut idem revera ſit & maneat. Hanc ex infinitudine ſapientiæ ſuæ, omnem poſſibilem requiſitorum eſſentialiũ combinationem naturaliter cognoſcentis, ſapientiſſimum Numen ante omne de re condenda decretum cognoſcere nemo negat, niſi qui menſuram ſapientiæ & ſcientiæ divinæ ejuſdem voluntatem facere ordine cognoſcendi recto inverſo, ſuſtinet. Recte *Heſiodus* Oper. & di. πάντα ἰδὼν Διὸς ὀφθαλμὸς καὶ πάντα νοήσας. Nec ei qui ita diſputat, hominemque liberrime nec coacte, immutabiliter tamen, Deum velle animal rationale creare, quia ita ejus naturæ veritas exigit, affirmat, *poſt copioſam hellebori potionem non ſuperfunctoria opus erit caſtigatione, ut importune divinæ naturæ adyta rimari metuat*, nam ea quæ per lumen naturæ cognoſci poſſunt explicare, non eſt importune divinæ naturæ adyta rimari. Alias non neſcio, quod, uti *Theophylact.* Com. in 1. Cor. 13. 12. f. 277. loquitur ἀμυδρά τις ἡμῖν ἐστιν ἄρτι ἡ γνῶσις, *obſcura quadam nobis nunc ſit cognitio.* Cæterùm ſatis provide Dn. *Puſendorf.* rem ſuam gerit, *ſi quis*, inquiens, *tamen his non acquieſcens contendere velit, ſaltem ideas rerum poſſibilium, quæ nunquam futuræ ſunt, tale decretum voluntatis divinæ nõ præſupponere, aut circa ideas rerum creandarum ab ejusmodi decreto præſcindendum eſſe; ei poſt copioſam hellebori potionem non ſuperfunctoria opus erit caſtigatione*; probe enim videt, quod cum de Ideis rerum poſſibilium,

quæ nunquã futuræ ſunt, vel quas ut nunquã futuras concipimus, negari non poſſit, quod antecedenter ad divinam voluntatem, ceu objecta ſcientiæ naturalis, ſe habeant, id ſe quoque negare non poſſe de ideis rerum aliquando creandarum, ſi qua poſſibiles, & ratione ſuæ veritatis, (quo ſenſu nos quæſtionis ſtatum ſemper formavimus) non qua creandæ ſpectantur: Nam ſi qua creandæ ſpectentur res, ipſe dico ne à voluntatis quidem decreto excluſive poſſe abſtrahi. Patet autem ita tandem diſputationem totam à Dn. *Puſendorfio* ſarcaſmo finiri.

§. 13. Pergit verò ulterius: *Velim* quoque *expendi ſubtilitatem iſtorum verborum: Quod eſt objectum intellectus divini, ante divinam voluntatem poteſt eſſe id, quod eſt.* Nimirùm τὸ *eſſe* non non notat exiſtere; ſed eſſe rei in ſe ſpectatum, ut eſt veritas aliqua, & objectum ſcientiæ Dei naturalis; nec loquimur de eſſe rerum actuali, ſed intelligibili. *Inania* autem videri Eidem, imo *eſſe, quæ ſequuntur,* concedo, quandoquidem cum ſuis pugnat figmentis, qualia ſunt: *Eſſentia quæ ſeipſam à ſeipſa divino intellectui ſtitit independenter à voluntate divina*: Item *agens morale, etiam quando nondum de norma actionum fuit cogitatum.* Nam quod prius attinet, cum divino intellectui talem eſſentiam exhibeāt divina potentia & ſapientia naturaliter, recte quidem antecedenter ad divinam voluntatem, non vero *independenter* ab eadem ſe habere dicitur. vid. *Diſquiſ.* p. 39. 309. Nec concipi debet eſſentia ante divinæ voluntatis decernentis & definientis actum

intellectui

intellectui aliter ſe ſiſtere, quam ſe ſiſtit hæc veritas, quod duo contradictoria non poſſint ſimul eſſe vera; aut quod, uti *Archimedes* de Conoid. & Sphæroid. f. 75. loquitur, *ſi aliquam ſphæroidem figuram duo plana inter ſe æque diſtantia contingant, ſi plana fuerint ſuper axem erecta, linea recta quæ per contactum puncta conjunget, per centrum ſphæroidis permeet:* Si vel maxime nullam unquam ſphæroidem figuram in orbe fuiſſe fingas. Poſterius verò quod concernit, confunditur *norma* actionum legalis, ſeu ipſa lex, cum *norma*, hoc eſt ratione & fundamento moralitatis, quod eſt ipſa natura humana qua rationalis & ſocialis, quam ratione ſuæ veritatis ante divinæ voluntatis ita decernentis actum concipimus; illam, legem ſc. conſequenter divinam voluntatem reſpicere ſemper dixi; cum verò non ex qualibet & quocunque modo ſe habente partium conjunctione fieri poſſit verus homo, ſed ſuas ſibi neceſſario & immutabiliter debitas partes hic requirat, ſicut triangulum tres ſibi depoſcit angulos, ſeu Deus ita decernere, ſeu non decernere concipiatur; pari ratione agens intellectuale quoque antecedenter ad divinam voluntatem, moraliter, ſed non legaliter agere poſſe recte concluditur. Negat idem ulterius p. 26. *cum citra divinæ voluntatis operationem ne idea quidem hominis intelligi queat, hanc propoſitionem,* homo eſt animal rationale, *eſſe veram citra divinæ voluntatis operationem.* Sed falſa eſt iſta ratio. Quis enim negaverit complurium poſſibilium dari conceptus, & conſequenter veras propoſitiones, quæ tamen divina voluntas, neque voluit, neque unquam volet? Manifeſtum proin eſt, *Puſendorf.* con-

 fundere

fundere ideam rei poſſibilis, cum idea rei producendæ: Hæc citra divinam voluntatem concipi non poteſt, illa poteſt. Naturaliter enim Deus ſeipſum comprehenſive, ut loquuntur, cognoſcens, ſuam potentiam, quid ſc. facere poſſit, & ſapientiam, qua ratione quoque poſſibilia bene fieri debeant, cognoſcit. *Satis* etiam *pro imperio* affirmari ait, *blaſphemiam, adulterium turpia eſſe, præciſa voluntate divina, imo præciſo divino judicio, etiam quando nondum Deus cogitaſſe intelligitur de condenda creatura, in quam tales actus cadere poſſent.* Verum enimverò non plus imperii in eminentiſſimum, & ſupremum Numen hæc ſibi arrogat loquendi ratio, quam quando dicitur præciſa divina voluntate, præciſo item divino judicio, triangulum verum tribus conſtare angulis; hoc enim verum eſt, antequam Deus de condendo triangulo cogitaſſe concipitur. Ita quando ait: *Vt patet jam etiam intellectu divino præciſo natura hominis, quamvis nondum de ea creanda à Deo decretum præſupponitur, Deo neceſſitatem adferre potuit certos actus lege ſanciendi*; quæ à me *Vasquio*, & Scholaſticis oppoſita ſunt, *qui Dei ſponte mutare ſententiam, & ſub iisdem circumſtantiis* de moralibus aliter judicare poſſe & potuiſſe contendunt, male ſine cauſa excipit, cum iſta neceſſitas de qua loquimur non ſit exercitii, ſed immutabilis in Deo, ob attributorum illius elegantiſſimam harmoniam, rectitudinis, quæ nullam in Numine eminentiſſimo infert imperfectionem. Unde nullum eſt periculum de *ratione mun-*

dum

dum abſq; Deo condendi. Et ut affectu, quo controverſiam exorſus eſt, claudat, addit: *Abſurdius adhuc eſt, quod ſequitur: Semper nulla etiam lege prohibente malum eſt, Deum conviciis proſcindere, ſi vel maxime fingas, ne Deum quidem dari. Ante hac credideram, non entis nullas eſſe affectiones.* Idem vero & ego adhuc credo. Interim in dictis nō major, hoc eſt nulla eſt abſurditas, quam ſi dico: Regem interficere malum eſt, *Ethice* nimirum, ſi vel maxime nullum regem dari fingas; vel Ebrietas eſt vitium, ſi vel maxime nullus unquam ebrius in orbe fuiſſet. Iſta vero Philoſophorum regula non recte adducta, quomodo intelligi debeat, Tuus Te B. *Stahlius* in Reg. Phil. P. I. pag. 18. ſeq. docet.

§. 14. Inde interjecta p. 27. diſputatione de *Ratione formali actionis moralis* proxime diſcutienda, p. 28. controverſiā de *origine moralitatis* ulterius proſequitur, contendens, quod *iſta congruentia aut diſcongruentia velut naturalis, quæ in multarum actionū objectis ad agentē comparatis, relucet, haut quidquam voluntatem creatoris excludat:* verum miſſa ἀκυρολογία τȣ̃ *excludat* ſupra notata, de voluntate Dei conſequente & approbante concedo, ita tamen ut ejus actus iſtam congruentiam antecedere una affirmen, ſicut eosdem antecedit, quod *linea recta* ſit, ἥτις ἐξίσȣ τοῖς ἐφ᾽ ἑαυτοῖς σημείοις κεῖται, *quæ ex æquo poſita eſt inter ſua puncta*, uti loquitur *Euclides* Def. Elem. I. Inſidioſè dicitur, *creatorem cum animal legibus obnoxium formare conſtituiſſet, ita naturam hominis temperaviſſe, ut actus certi eidem congruerent, aut*

non

non congruerent, prout illos præcipere aut vetare conſtituerat: Concedimus enim & hoc; ſed addimus tamen, ne aliter quidem naturam hominis à Creatore ſapientiſſimo æque atq; liberrimo, & omnipotentiſſimo, potuiſſe temperari, ob veritatis ſc. neceſſitatem, quæ actus voluntatis antecedit, quam ut rationales actus ei forent congrui; uti quando Deus vult triangulum facere, ita licet libere, neceſſario tamen neceſſitate ſc. immutabilitatis, lineas temperat, ut hæc præciſè, & non alia inde proveniat figura. Quæ de *diſcrimine legum naturalium & poſitivarum* Doctiſſimus *Pufendorfius* ſubjicit, bene ſe habent, modo nobis diſcrimen inter *morale*, & *legale* concedat. *Ad illud porro ratiocinium jam in ſuperioribus reſponſum eſſe ait: quia ſanctitas & juſtitia in Deo ſunt perfectiones eſſentiales, ex perfectiſſima eſſentia, non ex libera voluntate reſultantes; igitur & moralitas in actionibus humanis antecedit divinam voluntatem. Id enim conſequi negat, cum non ex abſoluta aliqua neceſſitate, ſed ex voluntate divina ſit, quod creaturæ dentur, quæ imaginem quandam ſanctitatis & juſtitiæ divinæ referre poſſent.* Sed & nos ſupra jam excepimus, confundi moralitatem ejusque fundamentum & veritatem cum actuali applicatione ad certum ſubjectum; illa habent divina attributa, quæ voluntatem Dei etiam antecedunt, pro cauſa exemplari, hæc divinam agnoſcit ante ſe voluntatem. Quod vero *ita confidenter pronunciat, v. g. ſanctitatem, bonitatem,*

juſtitiam

juſtitiam Dei, quo minus perfectiones morales adpellentur nihil obſtare, id ſibi nondum à me *perſuaderi,* me non movet, cum non repugnet, *ab hoc termino iſtas imperfectiones abſtrahi, quas ex primæva ſignificatione & communi uſu eidem adhærere* contendit, *qua morales perfectiones illis, quæ natura aut per eſſentiam inſunt, opponi dicuntur.* Nolo vero an hæc ita ſe habeant diſquirere; ſint ita: Detur ratio, cur iſta imperfectio ab hoc termino non poſſit ſeparari? Attributi ſane vox primo dicitur de creaturis, & ex prima impoſitione notat aliquid, quod eſt eſſentiæ ſuperveniens, ab eadem realiter diſtinctum: Aliam ſignificationem habet *Becman.* Orig. Ling. Latin. p. 1099. & tamen nil impedit, quo minus vox hæc transferatur ad ſignificandas Dei perfectiones eſſentiales. *Cyrillus* etiam l. 11. Theſ. *Accidentis* vocabulum Deo tribuit, uti notum. Unde valde infirmos eſſe oportet, qui quando *iſte ſic legitur terminus, ſcandalum* inde accipiunt; nec videndum quis loquatur, ſed quid dicatur. *Tandem* pergit, *& nihili eſt ratiocinium hocce: Deus ex natura ſua perfectione eſt amabilis & adorabilis, non ex voluntatis ſuæ arbitrio: Ergo actus hi: Deum amare, colere, morales ſunt antecedenter ad voluntatem divinam;* exinde, quod *actus illi utiq; non poſſint intelligi, niſi poſitis creaturis rationalibus. Et poſito actu agens quoque neceſſario ponendum ſit; hoc autem ut eſſet, à voluntate divina ſit:* Sed non neceſſe eſt, ut iſtæ

creaturæ,

creatura,(rectius res) actu ponantur, aut concipiantur tanquam producendæ; ſufficit ſi ſpectentur ratione veritatis præciſe, & ut ſunt quid poſſibile & mere adhuc intelligibile: Nec opus eſt, ut agens ſpectetur qua exiſtens, & ſic in ordine ad cauſam efficientem, cum humana natura non qua exiſtens, ſed qua rationalis & ſocialis, qualis eſt antecedenter ad divinam voluntatem, ſit fundamentum & ratio actuum moralium. Quando verò ait, ſe *effectum*, valorem ſc. qui eſſe morale conſtituit, *haud quidquam legi ſimpliciter tribuiſſe, ſed voluntati divinæ, naturam rerum & hominum ita formanti, ut huic certi actus utiq; congruerent, & non congruerent. Quæ voluntas Dei legem ſimul naturalem includit. Cùm quia legibus obnoxium animal creare Deus conſtituerat, ideo naturam huic fini accommodatam finxerit. Et eo ipſo, dum certa ratione naturam hominis temperat, ad convenientes iſti leges hominē adſtrinxerit*: hanc voluntatem dicimus ſe conſequenter habere, ita ut hominem formaturus verum Deus, non aliud quam rationale animal formare velle; & ejus naturam bene temperaturus, non aliter quam ſic, ut animal inde rationale prodiret, temperare potuerit. Deinde non ſequitur: Deus animal legibus obnoxium creare conſtituit, Ergo ejus veritas, & rerum inter ſe connexio ſe non habet antecedenter ad divinam voluntatem; uti non eſt conſequentia: Deus figuram triangularem facere conſtituit: Ergo ejus veritas, quod ſc.

tribus

tribus conſtet angulis, non antecedit divinum decretum. Sed ex illis quæ hactenus diſcuſſa ſunt hæc ſatis patent; ut & quid habendum ſit, quando & *principia ex quorum concurſu τὸ eſſe morale conſurgit, & ut concurſus eorundem in actionibus humanis certam habitudinem produceret, id per voluntatem creatoris proveniſſe* contendit: Scilicet ſi de probante & conſequente voluntate quæritur, iſta non negari; ſin verò de antecedente ſermo eſt, non magis id verum eſſe, ac quando dicitur per voluntatem conditoris tanquam ultimam rationem à priori provenire, quod triangulum tribus conſtet angulis, cum in veritate, quatenus puris figmentis, naturali item, & in ſe neceſſario rerum ordine, quatenus confuſioni opponitur, id fundetur. Quæ denique occaſione *vocabuli libere* carpit, cum ei non à me tribuantur, fruſtra à Dn. *Pufendorfio* contra me taxantur.

CONTROVERSIA III.

Quæ ſit

Ratio formalis actionis moralis.

§. I. Controverſia hæc non tanti quidem momenti eſt, ut diſſidentes atroci inimicitia ſe invicem proſequi debeant; cum tamen ſano *Ciceronis* 1. Off. judicio, *homini propria ſit veri inquiſitio & inveſtigatio*, dicere omnino nobis licebit, quid hic ſentiamus. Ventilavimus equidem, ceu infra patebit, huc pertinentia jam, defendimusque alibi noſtram ſententiam contra

Dn. Stri-

Dn. *Strimeſium*, qui in ſuis *Originibus moralibus* illam impugnatum ivit: Dn. *Pufend.* autem, quæ contra illius *Imputativitatem* à me in Diſquiſ. diſputantur, ita it p. 27. remotum? *Diſplicet* (mihi nimirum in mea Diſquiſ. p. 242.) *quod Pufendorf. formalem rationem actionis moralis conſiſtere dixerit in imputativitate (ad quod vocabulum non citra veniæ præfationem à ſepoſitum, neſcit quare frontem contrahant homines, qui totam ætatem ad aures uſq; lacunis Barbarorum Sophiſtarum roſtrum immerſerunt) cum ea potius τὸ morale conſequi ceu affectio videatur, quam id ceu formale conſtituere.* Quaſi verò illis, qui totam ætatem ad aures uſque lacunis barbarorum Sophiſtarum roſtrum immerſerunt, illorum barbaries æque non diſplicere queat, atque *Pufendorſio.* Interim vehementer fallitur Vir Doctiſſimus, ſi *totam ætatem me ſcholaſticorum lacunas* imbibiſſe credit; aliter, quod *Pufendorfium* non latet, ut ſupra notavi, Argentorati bonas tractamus literas: Unum faciendum nimirum, & alterum non omittendum. Cæterum judicium ejus de hac controverſia, factaque à me contradictione, hoc eſt: *Atqui apparet*, imputandi *vocabulum à Zentgravio in diverſo ſenſu, quam à me accipi. Mihi autem per hanc dictionem, actio huic imputatur, nil aliud notatur, quam hunc autorem ejus actionis haberi, aut eandem ad hunc pertinere, ut ſuper iſta ratio ab eo exigi, & qui inde proveniunt effectus in*

eundem

eundem devolvi queant. Cujus actionis dein, prout ad normam refertur, affectiones ſunt bonitas & malitia moralis, juſtitia & injuſtitia. Verum niſi actio talem, qualem nos aſſerimus valorem habeat, non *poteſt ſuper iſta ratio talis moralis exigi ab agente,* ſicut à bruto, quod ejus actus eodem caret, illa non exigitur: Non etiam quando eodem deſtituitur, poterit dici actio bona vel mala. Deinde quando Dn. *Pufendorf.* loquitur de actione, ut eſt formaliter *imputativa,* & dein *prout ad normam refertur;* aſſerit à nobis ſupra defenſam diſtinctionem inter *morale* & *legale.* Putat equidem, *valorem illum, quem velut formalem rationem moralis actionis me ſubſtituere ait, ad quantitatē actionum deſignandam pertinere.* Verum quicquid ſit de iſta quantitate, (nolo enim nova movere dubia) cum valor qui datur in omni actione morali, ſit cauſa æſtimabilitatis illius, & modi æſtimativi, quo illa quanta dicitur, nondum apparet, qui ad quantitatem actionum moralium formaliter pertinere dici debeat, cujus cauſa potius dici amat.

CONTROVERSIA IV.

De Indifferentiſmo Actionum Moralium.

§.I. DE *actu ſecundum eſſe Phyſicum,* & de *motu phyſico in actu morali,* an ſit *indifferens?* diſquiritur. Affirmant

firmant non ſolùm Moraliſtæ & Scholaſtici nonnulli; nec improbant qui hos ſequuntur, *Twiſſ. Rhetorfort, Szydlovius*; ſed & illis qui contra Indifferentiſmum diſputant, *Voëtio* v. c. ſubſcribere placet. Ego diſtinxi in Diſquiſ. p. 278. inter *motum*, ut notat *materiale remotum* actionis moralis, utque eſt præcisè ab homine uſurpabilis, v. c. coire: & ut eſt *materiale proximum*, vel motus determinatus hic, v. c. coitus cum beſtia: vel commixtio cum fœmina cui una miſcetur & alter. Hos actus æque ad honeſtatem & turpitudinem, ſeu bonum & malum morale eſſe indifferentes, atque prior ille motus, quem materiale remotum actionis moralis eſſe dixi, ego dicere non auſim. Materia prima indifferens eſt ad omnes recipiendas formas, aſt iſta indifferentia periit, ubi ad certam formam recipiendam eſt diſpoſita & determinata, etſi illam actu nondum in ſe receperit: Ita commixtio ut talis, eſt indifferens ad recipiendum honeſtatem & turpitudinem; at quando ad certam moralitatem recipiendam illa eſt phyſice determinata, commixtio v. c. cum bruto, cum fœmina, cui una & alter miſcetur, certum eſt, etiam qua mere phyſice hi actus ſpectantur, priorem deſiiſſe indifferentiam. Quanquam enim id quod in beſtialitate, vel adulterio eſt pure phyſicum, qua tale moraliter malum non ſit, id quod tamen eſt pure phyſicum, eſt determinatum tantum ad malum, & proinde accurate loquendo non amplius indifferens. Excipit contra Dn. *Pufendorfius* p. 30. §. 13. *Atqui omnes fatentur, in quavis actione humana intervenire motum phyſicum.* Fatentur quoq; *Deum tanquam primum motorem ad quemvis*

motum

motum phyſicum concurrere, qui tamen ad malum ut tale non concurrit. Et hoc recte. Idem enim & ego fateor, ſalva mea diſputatione contra indifferentiam ad bonum malum & motus Phyſici, ut notat hic materiale proximum. Nolo dein cavillari, quod *in quavis* humana actione intervenire motum phyſicum docet, cum & omiſſiones, uti pro actionibus moralibus, ita quoque pro humanis haberi ſoleant. Cætera concedo. Nec verò ſequitur, *tolli à me motorem, relinqui motum*; cum per hoc, quando motum ad bonum & malum indifferentem eſſe nego, non eundem actu moraliter malum eſſe ponam. *Valde autem me errare* ipſe vehementer ſibi perſuadet, *quod putem*, quæſo ubi? *merum motum phyſicum hac dictione exprimi; motus linguæ contra Deum. Nam in vocabulo* contra Deum *jam* ait *latere moralitatem, ac contra Deum loqui, & blaſphemare ſynonyma fere eſſe. Igitur motum phyſicum in blaſphemia laxioribus verbis eſſe exprimendum.* Quaſi verò moraliter tantum, non etiam phyſice contra Deum ſe lingua movere poſſet: præſcinde valorem, quem hoc factum infert, & legalitatem, num id quod phyſice adhuc ſupereſt, quatenus ad hanc inordinationem eſt individuatum, huicque moralitati proxime ſubeſt, adhuc eſt indifferens ad bonum & malum? Quæ verò de *motu phyſico laxioribus verbis exprimendo* idem monet, ad materiale remotum hujus actus pertinent. Nam *verba blaſphema quæ teſtis earecitat, & actuarius ſine*

 peccato

peccato, non ſunt materiale proximum blaſphemiæ, de quo nobis unice eſt quæſtio.

§. 2. Sicut verò hæc ſiniſtre videtur Dn. *Pufendorfius* cepiſſe, ita ſuſpicionibus penitus abreptus, *me conſumta repente modeſtia, eandem cum illis tibiam inflare, qui jure optimo maximo calumniatores audierunt*, vehementer contendit. Subridenti verò ob hunc calorem, incidit illud *Platonis* in Theætet. f. m. 115. οἱ ὀξεῖς, καὶ ἀγχίνοι καὶ μνήμονες, ὡς τὰ πολλὰ καὶ πρὸς τὰς ὀργὰς ὀξύῤῥοποί εἰσι, καὶ ἄπτοντες φέρονται, ὥσπερ τὰ ἀνερμάτιστα πλοῖα, καὶ μανικώτεροι ἢ ἀνδρειότεροι φύονται. *acuti, ſagacesq́ue, & memorioſi & dociles, ut plurimum in iracundiam impetusq́ue præcipites ſunt, proruunt enim atque raptantur, quemadmodum ſine retinaculis naves, & furioſi potius, quam fortes exiſtunt.* Nec ſimpliciter verum eſt, *toto cælo à commentis Vasquii, Retorfortis & Hobbii diſtare ſententiam ejus, qui aſſerit, moralitatem ſe non habere antecedenter ad divinam voluntatem, quippe per quam ſunt creaturæ moralitatis capaces*, cum & *Vaſquius, Rhatorfortis, Tvviſſus, Rada, Caramuel*, moralitatem ſe ad divinam voluntatem conſequenter habere contendant; etſi lubens concedam, quod *Pufendorfius, moralitatem ſe non habere antecedenter ad voluntatem divinam* itidem affirmans, non propterea idem cum *Vaſquio*, vel *Rhatorforte* ſentire dici debeat, cum eundem potius recte contra hos Impoſteros diſputare oſtenderim in *Diſquiſ.* p. 308. & *Vaſquianum Indifferentiſmum* recte impugnare dixerim. Et nihilo ſecius quod ita pronunciarim: *Hunc indifferen-*

differentiſſimum moralem Vaſq. ſc. (de quo quæſtionem eſſe contextus docet,) *alunt,fovent,pingunt ,& comunt omnes illi, qui moralitatem, omnem bonitatem & malitiam in hoc ordine talem, à NUDA impoſitione provenire affirmant, etſi ſe id agere contraria factis ſuis proteſtatione negant* : Uſque adeò ægrè hæc verba Noſter tulit, ut plane exacerbatus ita ſcripſerit : *Sane ego non uſq; adeo eruditum ſeculum ſpiritu calumniæ obſeſſum confido, ut de mea ſententia non mihi potius, quam tibi ſit crediturum. Præſertim cum hic absTe non minus infamium artium adhiberi deprehendam, quam quas in cæteris calumniatoribus, jam acriter, non tamen ſupra meritum, caſtigavi.* Rectè profectò B. *Salvianus* 3. de Gubern. Dei, *prima ſemper*, inquit, *irarum tela maledicta ſunt*; idque ſuo hocce ſatis comprobat Dn. *Pufendorfius* exemplo. Sed confido *Eruditum ſeculum*, ad cujus judicium provoco, miraturum eſſe virulentam Viri vehementiam, qua ob imputatum ſibi Vaſquian. & Rhætorfortianum Indifferentiſmum, tam atrocibus adverſum me furit convitiis, cum tamen à *Vaſquio* eundem diſſentire, rectè etiam eum iſtius infrunitum Indifferentiſmum oppugnare expreſſe ſcripſerim; & de mea ſententia mihi potius quam Tibi crediturum eſſe. Oſtende quæſo paginam, lineam ac apicem, ubi à me hoc unquam Tibi imputatum fuerit, Te bonitatem ac moralem malitiam omnem à *nuda impoſitione* provenire ſcripſiſſe, vid. p. 308. 356. ſeq. Queritur, *Fraudulenter infarctum eſſe vocabulum Nuda* : Egone vero à *Pufendorf.* hoc factum dixi? Num fraudulenter à me vox hæc infarcta dici debet? quando *Vaſquius, quis vetat,*

 inquit,

inquit, *quin poſſit ſponte Dei mutare ſententiam quoad mutuas neces inter ſe perpetrandas, exiſtimareq́ id liberum faſq́ eſſe foreq́ ſemper*: Vel cum *Rhætorfort is* ait, *aliquid dici juſtum & bonum antecedenter ad Dei decretum, poſſibiliter ſc. ut poſſit fieri bonum & juſtum, ſiquidem Deus velit*: Aut ſi *Rada* ſatis infrunite, *Deum per ſuam omnipotentem voluntatem præcepta tabulæ ſecundæ diſpenſare poſſe* affirmat, *ita ut efficiat, quod is qui prius erat obligatus, per naturæ legem ad aliquid faciendum, vel vitandum, iis aut illis conditionibus ſtantibus, non ſit ad id obligatus, poſſitq́ actum exercere licite, variata N. B. ſola circumſtantia prohibiti, & non prohibiti.* Nec tam liberales ſunt hi Sophiſtæ, ut concedant, ſe aliquid docere quod peccet, peſtilensque ſit in Philoſophia & Theologia Morali, vel quod abominabilem quendam *indifferentiſmum moralem alant, aut foveant*, qui omnes pro piis ſanctisque conſcientiæ, morum, juſtitiæque Doctoribus haberi malunt. Addit, *ſat clare à ſe oſtenſum eſſe, longe aliter ſe habere impoſitionem circa res, quæ lege naturali, & circa res quæ poſitiva lege ſancitæ ſunt; cum Deus legem naturalem homini daturus, ejusq́ actionibus moralitatem impoſiturus, naturam hominis ſimul certo modo formarit, id quod circa leges poſitivas ſecus ſe habet.* Atqui non ipſe ſolum ita docui in Diſquiſit. Art. 7. verum etiam eadem de ſententia *Pufendorfii* pag. 356. ſeq. tradidi, quanquam *inſufficienter iſta dici* addiderim. Ita ſine ratione p. 31. offenditur vocabulo *tantum*, cum ſat clare jam pateat, illa verba in eos tantum dici, qui *Vaſquiana, Szydloviana* deliria ſua faciunt. Quando verò *addendum eſſe* ait, *iſtam præciſionem*, qua quale aliquid ſit in ordine ad τὸ morale præciſa divina impoſitio-

poſitione conſideratur, *ita fieri debere, ut ſimul & lex, & quæ pari paſſu cum lege ambulat, formamatio naturæ humanæ ad eum finem peculiari à brutis modo facta abſtrahatur, utq; adeo nihil remaneat, niſi quod mere ſit phyſicum*; ſuam equidem explicat mentem, ſed *Indifferentiſtas* dictos, contra quos diſputo, id non juvat, qui *ſub iisdem circumſtantiis* per naturæ legem aliquid prohiberi & præcipi poſſe, *ſolâ prohibiti & non prohibiti circumſtantia* variante, impudenter aſſerunt, & ad iſtum reſpectum ad humanam naturam, ad quam reſpici debere cum Dn. *Puſendorſio* contendo, non attendunt. Aſſerere tamen non dubito, ex mea hypotheſi, qua humanam naturam, & moralium veritatem antecedenter ad divinam voluntatem ſe habere affirmo, fortius contra *Vaſquium, Rhætorfortem, Radam*, &c. diſputari, quam ex *Puſendorſiana*; quod *conſequentiæ* tantum Neceſſitatem inferat, cum mea & conſequentis neceſſitatem, quæ omnem contingentiam & mutabilitarem rei, ſc. ratione veritatis ſuæ, penitus tollit, propugnet, quod uti notum, illa qua talis non facit. Deniq; id quod eſt in actu hominis *mere phyſicum*, poteſt ſpectari ut tale, etſi ab iſto peculiaris humanæ naturæ formatio non abſtrahatur, cum & pure humanum detur quod ſit mere phyſicum.

§. 3. De Moralitate *adulterii antecedenter ad omnem legem & divinam impoſitionem* ſe habente, ſecundum Indifferentiſtarum dictorum hypotheſin, & ad mentem *Vaſquii, Radæ, Tviſſi*, &c. aliaque etiam occaſione diſputata, *miri ſtuporis*, callide immutato controverſiæ ſtatu arguit *Puſendorſius*; aliis diverſum ſentientibus objecta ceu ſibi oppoſita ſuggillans. De *concubitu*

itaque *cum alterius uxore*, ſuam mentem p. 33. explicans, pronunciat, quod *non ſit actus phyſicus indifferens; ſed moralitatem & legem quam maxime involvens, cum concubitus cum fœmina ſit actus phyſicus; ſed cum uxore alterius moralis & lege vetitus, qui uno vocabulo adulterium vocatur:* quod *uxor notet fœminam, quæ uni ſoli legitime data fide corpus ſuum addixit*, Contra vero ego dico, quod talis concubitus, lege licet recte prohibitus, moralitatem involvat etiam antecedenter ad legis prohibitionem, hominisque naturæ rationali & ſociali plane per ſe inconveniens ſit; & quod τὸ *legem involvere*, vel *lege eſſe vetitum*, ſe conſequenter ad actus hujus eſſe morale habeat. Et ſi per τὸ *legitime* Dn. *Puſendorfius* intelligit τὸ *ſecundum leges*, iſtam dico definitionem uxoris eſſe excogitatam ad ſalvandam quam propugnat theſin, non ſine petitione principiii: Aſt ſi τὸ *legitimè* notat, quod decenter fit, ſecundum indolem negotii, concedo equidem iſtam definitionem, ſed nego ex legum definitione antecedente moralitatem adulterii originaliter & primo provenire: fidem quippe ſanctiſſime datam perfide fallere, quod fit in adulterio, ante omnem legem malum eſt. *Vnde* fallitur Vir celeberrimus, quando *contradictoria & nugatoria ei videtur quæſtio: An concubitus cum alterius uxore ſit malus antecedenter ad omnem legem & voluntatem Dei.* Non enim major contradictio eſt, quam ſi quæro, an punctum mathematicum nullas habeat partes, antecedenter ad voluntatem Dei. Nego quippe morali-

lita-

litatem, ratione veritatis ſuæ ſc. à lege & voluntate Dei antecedente primo provenire, cujus decretum & definitionem potius illa antecedere dici debet; ad quam etiam ipſa ratio & veritas humanæ naturæ ſe antecedenter à nobis habere creditur. Illud autem plane incongrue dicitur: *Quid autem pronunciandum ſit, poſita inſana illa hypotheſi; Si Deus non datur; tunc demum patebit, quando Zentgravius ad hanc quæſtionem liquido reſponderit: Num poſita hypotheſi, ſi Deus non datur, aliquis è Suecia cum infamia fuerit relegandus?* Sic enim malo potiùs loqui, cum mea non interſit, quid in incluto Sueciæ Regno geratur. Incongrue, inquam, iſta dicuntur & objiciuntur. Nam *relegatio* iſta pertinet ad rem exiſtentem, de qua, & cujus accidentibus exiſtentiam præſupponentibus, jam non eſt quæſtio. Ita debuiſſes quærere: *Num poſita inſana illa hypotheſi* (ſit enim & talis per me) vera ſit hæc propoſitio & definitio *Euclidea* ex l. 3. Elem. ἴσοι κύκλοι εἰσὶν, ὧν αἱ διάμετροι εἰσὶν ἴσαι, *circuli æquales ſunt, quorum diametri erunt æquales.* Quod enim reſpondendum cenſes de hác quæſtione, id cenſe quoque reſpondendum eſſe de adulterii, quod ſaltem ſic concipimus, non vero dari dicimus, moralitate, ejuſque veritate.

§. 4. Indeq; ventilatur, quid in hac controv. efficiat illa diſtinctio, *inter vocabula quæ merum motum phyſicum ſignificant, & quæ notant actum phyſicum cum moralitate conjunctum*; quam cur *Pufendorfius ſuam* vocet, vehementer miror, cùm in vulgus nota, & in hac, aliisque quæſtionibus ſæpius à pluribus

Vindiciis ſatis cognoſcere poteſt; modo ipſe tam alienus foret à ſuſpicionibus injuſtis, quarum exitus tandem ejusmodi diſceptandi genus eſſe ſolet, quo qui vincit pejor & infelicior ipſo victo habetur. Et omninò benè feciſſet Vir Doctiſſimus, ſi & *Artic. X.* attentiùs conſideraſſet, vidiſſet enim ſoli expoſita, quæ in prioribus *opaca nube* tecta perperam credidit. *Abſtractiones* denique *& præciſiones, modosq; concipiendi* varios, quos nuci videtur facere, uti alibi, ita in noſtris quoque controverſiis accuratum Philoſophandi genus deſiderat.

CONTROVERSIA V.

De SOCIALITATE, *an* *Sit Juris Natur. Fundamentum.*

§.I. DE *Socialitate* quæritur, an *ſit idoneum fundamentum*, ſeu *propoſitio fundamentalis* inde ſtrui queat, *ex qua leges Naturales facili Conſequentia deduci*, & *in illam reduci rurſus poſſint*? Deciſio hujus quæſtionis magna ex parte inde pendet, an J. N. diſciplina æque officia hominis erga Deum & ſeipſum explicet, atque hominum inter ſe officia tradit, & quid juris inter homines mutuo exerceri debeat docet; unde cum nos id affirmemus, negante *Puſendorſio* religionem naturalem nativam velut ſedem in diſciplina J. N. ſortiri,

tiri, mirum noneſt, hic aliquid diſſenſus inter nos, circa deſignandam univerſi J. N. propoſitionem fundamentalem, intercedere. Alias in *Diſquiſ.* mea p. 168. expreſſe ſcripſi, *quando quæ ſint J. N. officia erga alios in vita ſociali quæritur, ea quæ vitam ſocialem per ſe tollere, & fini ſocietatum naturalium per ſe adverſari recte ratiocinando percipiuntur, lege naturali eſſe prohibita, dubium non eſſe*; qui etiam pag. ſeq. *non negavi in theſi, ſecundum ſocialitatem*, recte ſc. intellectam, *poſſe à nobis dijudicari, quid ſit J. N.* Addo nunc, (en quam liberalis ſim,) *Clementis Alexandrini, Auguſtini, Ambroſii, Lactantii*, ſuo loco, Deo annuente adducendorum, eandem eſſe Philoſophiam. Cæterum cum inadæquata ſit J. N. latitudini, malui pro ſocialitate ſubſtituer CHARITATEM, ſeu ſi aliis hoc eſſe nimis videtur Theologicum fundamentum, AMOREM, qui directe officia hominis erga Deum, ſeipſum & proximum ſeu ſocium, ſub ſe continet. Quo nomine præter Gentiles etiam noſtros, *Auguſtinum*, aliosque habeo mecum ſentientes.

§. 2. *Socialitas*, uti etiam Dn. *Puſendorf.* de J. N. & G. p. 183. innuere videtur, in hoc conſiſtit, ut appetant inter ſe conjungi, & conjuncti in cœtu ſui ſimiliam vivere velint homines, & quo ſic vivere poſſint, ſic adverſus ſe invicem ſe gerant, ne quid comittant, quo perturbetur, & tandem tollatur, vel minus tranquilla inter mortales ſocietas eſſe queat. Hujus culturam, ſc. uti rurſus *Puſendorf.* Elem. l. 2. p. m. 308. loquitur, *ut ita quiſq; ſe conſervare ſtudeat, ne ſocietas inter homines turbetur*, negavi recte in fundamentalis propoſitionis locum aſſumi, quæ ſc. fundamenti loco ſubſternatur Univerſo Juri naturali, cum ex *eadem officia*

erga

creatura, (rectius res) actu ponantur, aut concipiantur tanquam producendæ ; ſufficit ſi ſpectentur ratione veritatis præciſe, & ut ſunt quid poſſibile & mere adhuc intelligibile: Nec opus eſt, ut agens ſpectetur qua exiſtens, & ſic in ordine ad cauſam efficientem, cum humana natura non qua exiſtens, ſed qua rationalis & ſocialis, qualis eſt antecedenter ad divinam voluntatem, ſit fundamentum & ratio actuum moralium. Quando verò ait, ſe *effectum*, valorem ſc. qui eſſe morale conſtituit, *haud quidquam legi ſimpliciter tribuiſſe, ſed voluntati divinæ; naturam rerum & hominum ita formanti, ut huic certi actus utiq; congruerent, & non congruerent. Quæ voluntas Dei legem ſimul naturalem includit. Cùm quia legibus obnoxium animal creare Deus conſtituerat, ideo naturam huic fini accommodatam finxerit. Et eo ipſo, dum certa ratione naturam hominis temperat, ad convenientes iſti leges hominē adſtrinxerit:* hanc voluntatem dicimus ſe conſequenter habere, ita ut hominem formaturus verum Deus, non aliud quam rationale animal formare velle; & ejus naturam bene temperaturus, non aliter quam ſic, ut animal inde rationale prodiret, temperare potuerit. Deinde non ſequitur: Deus animal legibus obnoxium creare conſtituit, Ergo ejus veritas, & rerum inter ſe connexio ſe non habet antecedenter ad divinam voluntatem; uti non eſt conſequentia : Deus figuram triangularem facere conſtituit: Ergo ejus veritas, quod ſc.

tribus

tribus conſtet angulis, non antecedit divinum decretum. Sed ex illis quæ hactenus diſcuſſa ſunt hæc ſatis patent; ut & quid habendum ſit, quando & *principia ex quorum concurſu τὸ eſſe morale conſurgit, & ut concurſus eorundem in actionibus humanis certam habitudinem produceret, id per voluntatem creatoris proveniſſe* contendit: Scilicet ſi de probante & conſequente voluntate quæritur, iſta non negari; ſin verò de antecedente ſermo eſt, non magis id verum eſſe, ac quando dicitur per voluntatem conditoris tanquam ultimam rationem à priori provenire, quod triangulum tribus conſtet angulis, cum in veritate, quatenus puris figmentis, naturali item, & in ſe neceſſario rerum ordine, quatenus confuſioni opponitur, id fundetur. Quæ denique occaſione *vocabuli libere* carpit, cum ei non à me tribuantur, fruſtra à Dn. *Pufendorfio* contra me taxantur.

CONTROVERSIA III.

Quæ ſit

Ratio formalis actionis moralis.

§. I. Controverſia hæc non tanti quidem momenti eſt, ut diſſidentes atroci inimicitia ſe invicem proſequi debeant; cum tamen ſano *Ciceronis* 1. Off. judicio, *homini propria ſit veri inquiſitio & inveſtigatio*, dicere omnino nobis licebit, quid hic ſentiamus. Ventilavimus equidem, ceu infra patebit, huc pertinentia jam, defendimusque alibi noſtram ſententiam contra

Dn. Stri-

Dn. *Strimeſium*, qui in ſuis *Originibus moralibus* illam impugnatum ivit: Dn. *Pufend.* autem, quæ contra illius *Imputativitatem* à me in Diſquiſ. diſputantur, ita it p. 27. remotum? *Diſplicet* (mihi nimirum in mea Diſquiſ. p. 242.) *quod Pufendorf. formalem rationem actionis moralis conſiſtere dixerit in imputativitate (ad quod vocabulum non citra veniæ præfationem à ſepoſitum, neſcit quare frontem contrahant homines, qui totam ætatem ad aures uſq; lacunis Barbarorum Sophiſtarum roſtrum immerſerunt) cum ea potius* τὸ *morale conſequi ceu affectio videatur, quam id ceu formale conſtituere.* Quaſi verò illis, qui totam ætatem ad aures uſque lacunis barbarorum Sophiſtarum roſtrum immerſerunt, illorum barbaries æque non diſplicere queat, atque *Pufendorſio.* Interim vehementer fallitur Vir Doctiſſimus, ſi *totam ætatem me ſcholaſticorum lacunas* imbibiſſe credit; aliter, quod *Pufendorſium* non latet, ut ſupra notavi, Argentorati bonas tractamus literas: Unum faciendum nimirum, & alterum non omittendum. Cæterum judicium ejus de hac controverſia, factaque à me contradictione, hoc eſt: *Atqui apparet*, imputandi *vocabulum à Zentgravio in diverſo ſenſu, quam à me accipi. Mihi autem per hanc dictionem, actio huic imputatur, nil aliud notatur, quam hunc autorem ejus actionis haberi, aut eandem ad hunc pertinere, ut ſuper iſta ratio ab eo exigi, & qui inde proveniunt effectus in*

eundem

eundem devolvi queant. Cujus actionis dein, prout ad normam refertur, affectiones ſunt bonitas & malitia moralis, juſtitia & injuſtitia. Verum niſi actio talem, qualem nos aſſerimus valorem habeat, non *poteſt ſuper iſta ratio talis moralis exigi ab agente,* ſicut à bruto, quod ejus actus eodem caret, illa non exigitur: Non etiam quando eodem deſtituitur, poterit dici actio bona vel mala. Deinde quando Dn. *Puſendorf.* loquitur de actione, ut eſt formaliter *imputativa,* & dein *prout ad normam refertur;* aſſerit à nobis ſupra defenſam diſtinctionem inter *morale* & *legale.* Putat equidem, *valorem illum, quem velut formalem rationem moralis actionis me ſubſtituere ait, ad quantitatē actionum deſignandam pertinere.* Verum quicquid ſit de iſta quantitate, (nolo enim nova movere dubia) cum valor qui datur in omni actione morali, ſit cauſa æſtimabilitatis illius, & modi æſtimativi, quo illa quanta dicitur, nondum apparet, qui ad quantitatem actionum moralium formaliter pertinere dici debeat, cujus cauſa potius dici amat.

CONTROVERSIA IV.

De Indifferentiſmo Actionum Moralium.

§.I. **D**E *actu ſecundum eſſe Phyſicum,* & de *motu phyſico in actu morali,* an ſit *indifferens*? diſquiritur. Af-

 firmant

firmant non ſolùm Moraliſtæ & Scholaſtici nonnulli; nec improbant qui hos ſequuntur, *Twiſſ. Rhætorfort, Szydlovius*; ſed & illis qui contra Indifferentiſmum diſputant, *Voëtio* v. c. ſubſcribere placet. Ego diſtinxi in Diſquiſ. p. 278. inter *motum*, ut notat *materiale remotum* actionis moralis, utque eſt præcisè ab homine uſurpabilis, v. c. coire: & ut eſt *materiale proximum*, vel motus determinatus hic, v. c. coitus cum beſtia: vel commixtio cum fœmina cui una miſcetur & alter. Hos actus æque ad honeſtatem & turpitudinem, ſeu bonum & malum morale eſſe indifferentes, atque prior ille motus, quem materiale remotum actionis moralis eſſe dixi, ego dicere non auſim. Materia prima indifferens eſt ad omnes recipiendas formas, aſt iſta indifferentia periit, ubi ad certam formam recipiendam eſt diſpoſita & determinata, etſi illam actu nondum in ſe receperit: Ita commixtio ut talis, eſt indifferens ad recipiendum honeſtatem & turpitudinem; at quando ad certam moralitatem recipiendam illa eſt phyſice determinata, commixtio v. c. cum bruto, cum fœmina, cui una & alter miſcetur, certum eſt, etiam qua mere phyſice hi actus ſpectantur, priorem deſiiſſe indifferentiam. Quanquam enim id quod in beſtialitate, vel adulterio eſt pure phyſicum, qua tale moraliter malum non ſit, id quod tamen eſt pure phyſicum, eſt determinatum tantum ad malum, & proinde accurate loquendo non amplius indifferens. Excipit contra Dn. *Puſendorfius* p. 30. §. 13. *Atqui omnes fatentur, in quavis actione humana intervenire motum phyſicum. Fatentur quoq; Deum tanquam primum motorem ad quemvis*

motum

motum phyſicum concurrere, qui tamen ad malum ut tale non concurrit. Et hoc recte. Idem enim & ego fateor, ſalva mea diſputatione contra indifferentiam ad bonum malum & motus Phyſici, ut notat hic materiale proximum. Nolo dein cavillari, quod *in quavis* humana actione intervenire motum phyſicum docet, cum & omiſſiones, uti pro actionibus moralibus, ita quoque pro humanis haberi ſoleant. Cætera concedo. Nec verò ſequitur, *tolli à me motorem, relinqui motum*; cum per hoc, quando motum ad bonum & malum indifferentem eſſe nego, non eundem actu moraliter malum eſſe ponam. *Valde autem me errare* ipſe vehementer ſibi perſuadet, *quod putem*, quæſo ubi? *merum motum phyſicum hac dictione exprimi*; *motus lingua contra Deum. Nam in vocabulo* contra Deum *jam* ait *latere moralitatem, ac contra Deum loqui, & blaſphemare ſynonyma fere eſſe. Igitur motum phyſicum in blaſphemia laxioribus verbis eſſe exprimendum.* Quaſi verò moraliter tantum, non etiam phyſice contra Deum ſe lingua movere poſſet: præſcinde valorem, quem hoc factum infert, & legalitatem, num id quod phyſice adhuc ſupereſt, quatenus ad hanc inordinationem eſt individuatum, huicque moralitati proxime ſubeſt, adhuc eſt indifferens ad bonum & malum? Quæ verò de *motu phyſico laxioribus verbis exprimendo* idem monet, ad materiale remotum hujus actus pertinent. Nam *verba blaſphema qua teſtis earecitat, & actuarius ſine*

peccato, non ſunt materiale proximum blaſphemiæ, de quo nobis unice eſt quæſtio.

§. 2. Sicut verò hæc ſiniſtre videtur Dn. *Puſendorfius* cepiſſe, ita ſuſpicionibus penitus abreptus, ***me conſumta repente modeſtia, eandem cum illis tibiam inflare, qui jure optimo maximo calumniatores audierunt***, vehementer contendit. Subridenti verò ob hunc calorem, incidit illud *Platonis* in Theætet. f. m. 115. οἱ ὀξεῖς, καὶ ἀγχίνοι καὶ μνήμονες, ὡς τὰ πολλὰ καὶ πρὸς τὰς ὀργὰς ὀξύῤῥοποί εἰσι, καὶ ἄπλοντες φέρονται, ὥσπερ τὰ ἀνερμάτιστα πλοῖα, καὶ μανικώτεροι ἢ ἀνδρειότεροι φύονται. *acuti, ſagacesq; & memorioſi & dociles, ut plurimum in iracundiam impetusq; præcipites ſunt, proruunt enim atq; raptantur, quemadmodum ſine retinaculis naves, & furioſi potius, quam fortes exiſtunt.* Nec ſimpliciter verum eſt, ***toto cælo à commentis Vasquii, Retorfortis & Hobbii diſtare ſententiam ejus, qui aſſerit, moralitatem ſe non habere antecedenter ad divinam voluntatem, quippe per quam ſunt creaturæ moralitatis capaces***, cum & *Vaſquius*, *Rhatorfortis*, *Tvviſſus*, *Rada*, *Caramuel*, moralitatem ſe ad divinam voluntatem conſequenter habere contendant; etſi lubens concedam, quod *Puſendorfius*, ***moralitatem ſe non habere antecedenter ad voluntatem divinam*** itidem affirmans, non propterea idem cum *Vaſquio*, vel *Rhatorforte* ſentire dici debeat, cum eundem potius recte contra hos Imposteros diſputare oſtenderim in *Diſquiſ.* p. 308. & *Vaſquianum Indifferentiſmum* recte impugnare dixerim. Et nihilo ſecius quod ita pronunciarim: *Hunc indifferen-*

diſſerentiſmum moralem Vaſq. ſc. (de quo quæſtionem eſſe contextus docet,) *alunt, fovent, pingunt, & comunt omnes illi, qui moralitatem, omnem bonitatem & malitiam in hoc ordine talem, à NUDA impoſitione provenire affirmant, etſi ſe id agere contraria factis ſuis proteſtatione negant*: Uſque adeò ægrè hæc verba Noſter tulit, ut plane exacerbatus ita ſcripſerit: *Sane ego non uſq; adeo eruditum ſeculum ſpiritu calumniæ obſeſſum confido, ut de mea ſententia non mihi potius, quam tibi ſit crediturum. Præſertim cum hic abs Te non minus infamium artium adhiberi deprehendam, quam quas in cæteris calumniatoribus, jam acriter, non tamen ſupra meritum, caſtigavi.* Rectè profectò B. *Salvianus* 3. de Gubern. Dei, *prima ſemper*, inquit, *irarum tela maledicta ſunt*; idque ſuo hocce ſatis comprobat Dn. *Puſendorſius* exemplo. Sed confido *Eruditum ſeculum*, ad cujus judicium provoco, miraturum eſſe virulentam Viri vehementiam, qua ob imputatum ſibi Vaſquian. & Rhætorfortianum Indifferentiſmum, tam atrocibus adverſum me furit conviitiis, cum tamen à *Vaſquio* eundem diſſentire, recte etiam eum iſtius infrunitum Indifferentiſmum oppugnare expreſſe ſcripſerim; & de mea ſententia mihi potius quam Tibi crediturum eſſe. Oſtende quæſo paginam, lineam ac apicem, ubi à me hoc unquam Tibi imputatum fuerit, Te bonitatem ac moralem malitiam omnem à *nuda impoſitione* provenire ſcripſiſſe, vid. p. 308. 356. ſeq. Queritur, *Fraudulenter infarctum eſſe vocabulum Nuda*: Egone vero à *Puſendorſ.* hoc factum dixi? Num fraudulenter à me vox hæc infarcta dici debet? quando *Vaſquius, quis vetat,*

inquit, *quin poſſit ſponte Dei mutare ſententiam quoad mutuas neces inter ſe perpetrandas, exiſtimareq; id liberum faſq; eſſe foreq; ſemper*: Vel cum *Rhatorfort* is ait, *aliquid dici juſtum & bonum antecedenter ad Dei decretum, poſſibiliter ſc. ut poſſit fieri bonum & juſtum, ſiquidem Deus velit*: Aut ſi *Rada* ſatis infrunite, *Deum per ſuam omnipotentem voluntatem præcepta tabulæ ſecundæ diſpenſare poſſe* affirmat, *ita ut efficiat, quod is qui prius erat obligatus, per naturæ legem ad aliquid faciendum, vel vitandum, iis aut illis conditionibus ſtantibus, non ſit ad id obligatus, poſſitq; actum exercere licite, variata NB. ſola circumſtantia prohibiti, & non prohibiti.* Nec tam liberales ſunt hi Sophiſtæ, ut concedant, ſe aliquid docere quod peccet, peſtilensque ſit in Philoſophia & Theologia Morali, vel quod abominabilem quendam *indifferentiſmum moralem alant, aut foveant*, qui omnes pro piis ſanctisque conſcientiæ, morum, juſtitiæque Doctoribus haberi malunt. Addit, *ſat clare à ſe oſtenſum eſſe, longe aliter ſe habere impoſitionem circa res, quæ lege naturali, & circa res quæ poſitiva lege ſancitæ ſunt; cum Deus legem naturalem homini daturus, ejusq; actionibus moralitatem impoſiturus, naturam hominis ſimul certo modo formarit, id quod circa leges poſitivas ſecus ſe habet.* Atqui non ipſe ſolum ita docui in Diſquiſit. Art. 7. verum etiam eadem de ſententia *Pufendorfii* pag. 356. ſeq. tradidi, quanquam *inſufficienter iſta dici* addiderim. Ita ſine ratione p. 31. offenditur vocabulo *tantum*, cum ſat clare jam pateat, illa verba in eos tantum dici, qui *Vaſquiana, Szydloviana* deliria ſua faciunt. Quando verò *addendum eſſe* ait, *iſtam præciſionem*, qua quale aliquid ſit in ordine ad τὸ morale præciſa divina impoſitio-

poſitione conſideratur, *ita fieri debere, ut ſimul & lex, & quæ pari paſſu cum lege ambulat, formatio naturæ humanæ ad eum finem peculiari à brutis modo facta abſtrahatur, utq; adeo nihil remaneat, niſi quod mere ſit phyſicum*; ſuam equidem explicat mentem, ſed *Indifferentiſtas* dictos, contra quos diſputo, id non juvat, qui *ſub iisdem circumſtantiis* per naturæ legem aliquid prohiberi & præcipi poſſe, *ſolâ prohibiti & non prohibiti circumſtantia* variante, impudenter aſſerunt, & ad iſtum reſpectum ad humanam naturam, ad quam reſpici debere cum Dn. *Pufendorfio* contendo, non attendunt. Aſſerere tamen non dubito, ex mea hypotheſi, qua humanam naturam, & moralium veritatem antecedenter ad divinam voluntatem ſe habere affirmo, fortius contra *Vaſquium, Rhætorfortem, Radam*, &c. diſputari, quam ex *Pufendorfiana*; quod *conſequentiæ* tantum Neceſſitatem inferat, cum mea & conſequentis neceſſitatem, quæ omnem contingentiam & mutabilitatem rei, ſc. ratione veritatis ſuæ, penitus tollit, propugnet, quod uti notum, illa qua talis non facit. Deniq; id quod eſt in actu hominis *mere phyſicum*, poteſt ſpectari ut tale, etſi ab iſto peculiaris humanæ naturæ formatio non abſtrahatur, cum & pure humanum detur quod ſit mere phyſicum.

§. 3. De Moralitate *adulterii antecedenter ad omnem legem & divinam impoſitionem* ſe habente, ſecundum Indifferentiſtarum dictorum hypotheſin, & ad mentem *Vaſquii, Radæ, Twiſſi*, &c. aliaque etiam occaſione diſputata, *miri ſtuporis*, callide immutato controverſiæ ſtatu arguit *Pufendorfius*; aliis diverſum ſentientibus objecta ceu ſibi oppoſita ſuggillans. De *concubitu*

itaque *cum alterius uxore*, ſuam mentem p. 35. explicans, pronunciat, quod *non ſit actus phyſicus indifferens; ſed moralitatem & legem quam maxime involvens, cum concubitus cum fœmina ſit actus phyſicus; ſed cum uxore alterius moralis & lege vetitus, qui uno vocabulo adulterium vocatur:* quod *uxor notet fœminam, quæ uni ſoli legitime data fide corpus ſuum addixit.* Contra vero ego dico, quod talis concubitus, lege licet recte prohibitus, moralitatem involvat etiam antecedenter ad legis prohibitionem, hominisque naturæ rationali & ſociali plane per ſe inconveniens ſit; & quod τὸ *legem involvere*, vel *lege eſſe vetitum*, ſe conſequenter ad actus hujus eſſe morale habeat. Et ſi per τὸ *legitime* Dn. *Puſendorſius* intelligit τὸ *ſecundum leges*, iſtam dico definitionem uxoris eſſe excogitatam ad ſalvandam quam propugnat theſin, non ſine petitione principii: Aſt ſi τὸ *legitimè* notat, quod decenter fit, ſecundum indolem negotii, concedo equidem iſtam definitionem, ſed nego ex legum definitione antecedente moralitatem adulterii originaliter & primo provenire: fidem quippe ſanctiſſime datam perfide fallere, quod fit in adulterio, ante omnem legem malum eſt. *Vnde* fallitur Vir celeberrimus, quando *contradictoria & nugatoria ei videtur quæſtio: An concubitus cum alterius uxore ſit malus antecedenter ad omnem legem & voluntatem Dei.* Non enim major contradictio eſt, quam ſi quæro, an punctum mathematicum nullas habeat partes, antecedenter ad voluntatem Dei. Nego quippe morali-

lita-

litatem, ratione veritatis ſuæ ſc. à lege & voluntate Dei antecedente primo provenire, cujus decretum & definitionem potius illa antecedere dici debet; ad quam etiam ipſa ratio & veritas humanæ naturæ ſe antecedenter à nobis habere creditur. Illud autem plane incongrue dicitur: *Quid autem pronunciandum ſit, poſita inſana illa hypotheſi; Si Deus non datur; tunc demum patebit, quando Zentgravius ad hanc quæſtionem liquido reſponderit: Num poſita hypotheſi, ſi Deus non datur, aliquis è Suecia cum infamia fuerit relegandus?* Sic enim malo potiùs loqui, cum mea non interſit, quid in incluto Sueciæ Regno geratur. Incongrue, inquam, iſta dicuntur & objiciuntur. Nam *relegatio* iſta pertinet ad rem exiſtentem, de qua, & cujus accidentibus exiſtentiam præſupponentibus, jam non eſt quæſtio. Ita debuiſſes quærere: *Num poſita inſana illa hypotheſi* (ſit enim & talis per me) vera ſit hæc propoſitio & definitio *Euclidea* ex l. 3. Elem. *ἴσοι κύκλοι εἰσὶν, ὧν αἱ διάμετροι εἰσὶν ἴσαι, circuli æquales ſunt, quorum diametri erunt æquales.* Quod enim reſpondendum cenſes de hâc quæſtione, id cenſe quoque reſpondendum eſſe de adulterii, quod ſaltem ſic concipimus, non vero dari dicimus, moralitate, ejuſque veritate.

§. 4. Indeq; ventilatur, quid in hac controv. efficiat illa diſtinctio, *inter vocabula quæ merum motum phyſicum ſignificant, & quæ notant actum phyſicum cum moralitate conjunctum*; quam cur *Pufendorfius ſuam* vocet, vehementer miror, cum in vulgus nota, & in hac, aliisque quæſtionibus ſæpius à pluribus

uſurpari ſoleat. Negat autem *recte quæri, qualis ſit iſte actus*, cohabitare alterius uxori, *præciſa impoſitione ſuperiori conſideratus, an mere phyſicus, an quid moralitatis in ſe contineat? Eodem enim jure* (quod in facto tantum fundatur) *quæri poſſe, num ego ſim animal rationale?* Ideo nimirum, *quia ſi velim principium moralitatis, totamq; adeo moralitatem hic præſcindere, & nihil præter merum actum phyſicum retinere, amovenda quoque ſit*, notio uxoris alienæ, *quæ citra moralitatem intelligi nequeat*; remittitque ad ſuum *Specimen controverſiarum* c. 5. §. 20. Sed quæ ibi ſe contra me per occupationem diſputaſſe credit, per dicta jam diſcuſſa ſunt. Pag. 160. ibid. *alienam uxorem* vocat *eam, in quam per leges ſoli marito jus, ut cum ea miſceretur, erat quæſitum.* Nego vero ego per leges ſolum habere maritum poteſtatem in corpus ſuæ uxoris, ſed ex objectiva ratione, ante leges uxor talem notat fœminam per fidem ſanctiſſime datam uni viro propriam. Confirmat ſuperveniens ſaltem lex, probatque ea & præcipit, quæ in ſe honeſta & bona ſunt. Dein ſi vel maxime amovero notionem *uxoris alienæ*, non tamen notionem *mulieris alienæ* amovere licebit; hanc enim fœminam non eſſe illam, etiam phyſice verum eſt; ſed ponenda erit mulier cui ſimul plures miſcentur: Sic enim actus mere phyſicus in adulterio melius forte explicabitur, quam ſi cum Dn. *Pufendorfio* ex Specim. p. 160. dicimus, quod *actus mere phyſicus in adulterio ſit miſceri eidem cui miſcetur & alter, cui tamen*

tamen nullum in eam peculiare jus competit, cum ob juris mentionem, Virum Doctiſſimum nondum ab omni moralitate plenè abſtrahere pateat. Remoto autem omni reſpectu ad legem, ſeparata quoque omni ἀνομίᾳ ex aberratione à lege reſultante, remota denique etiam *notione uxoris alienæ*, ſic ut id quod ita iſto actu mere eſt phyſicum ſolum retineamus, mulierem ſc. quæ pluribus viris ſimul corporis ſui poteſtatem facere conſuevit, uti brutorum fœmellæ plures admittunt mares, (de actu prout mere phyſice ſe habet loquor, ne quis cavilletur,) vel ut *Puſendorf.* loquitur: *Miſceri eidem, cui miſcetur & alter, cui tamen nullum in eam peculiare jus eſt*; num illud phyſicum, ſeu actus talis mere ſe habens phyſice, etſi indifferens ſit ad ſcortationem & adulterium, quin & ad conjugium; qua tamen individuatur ad materiale proximum adulterii, quod qua tale etiam phyſicum quid eſt, & ad actum phyſice conſideratum pertinet, eandem indifferentiam ad bonum & malum retineat, ego dicere, ſuperſtitio licet à me ſit aliena, non auſim. Cætera quæ p. 34. *inepte* & *ſtolide* pro ſua ſapientia inferri putat, ignorans quid carpat, ſatis apte & recte concludunt, ſi ſtatus controverſiæ recte fuerit obſervatus, contra eos quibus opponuntur, occaſione quæſtionis potiſſimum *alas* agitatæ. *Geſenianam* litem ego meam non facio, tantum abeſt, ut conſequentias *Beckmannianas* invita veritate defenſum ſim ſuſcepturus. *Artificium* denique iſtud *obſcænum*, in quod ibidem invehitur, à me alienum eſſe, ipſe *Puſendorſius* cum ex *Diſquiſition.* mea, tum ex his

Vindiciis

Vindiciis ſatis cognoſcere poteſt; modo ipſe tam alienus foret à ſuſpicionibus injuſtis, quarum exitus tandem ejusmodi diſceptandi genus eſſe ſolet, quo qui vincit pejor & infelicior ipſo victo habetur. Et omninò benè feciſſet Vir Doctiſſimus, ſi & *Artic. X.* attentiùs conſideraſſet, vidiſſet enim ſoli expoſita, quæ in prioribus *opaca nube* tecta perperam credidit. *Abſtractiones* denique *& præciſiones*, *modosq; concipiendi* varios, quos nuci videtur facere, uti alibi, ita in noſtris quoque controverſiis accuratum Philoſophandi genus deſiderat.

CONTROVERSIA V.

De

SOCIALITATE,

an

Sit Juris Natur. Fundamentum.

§.I. DE *Socialitate* quæritur, an *ſit idoneum fundamentum*, ſeu *propoſitio fundamentalis* inde ſtrui queat, *ex qua leges Naturales facili Conſequentia deduci*, & *in illam reduci rurſus poſſint?* Deciſio hujus quæſtionis magna ex parte inde pendet, an J. N. diſciplina æque officia hominis erga Deum & ſeipſum explicet, atque hominum inter ſe officia tradit, & quid juris inter homines mutuo exerceri debeat docet; unde cum nos id affirmemus, negante *Puſendorſio* religionem naturalem nativam velut ſedem in diſciplina J. N. ſortiri,

tiri,

tiri, mirum noneſt,hic aliquid diſſenſus inter nos,circa deſignandam univerſi J. N. propoſitionem fundamentalem, intercedere. Alias in *Diſquiſ.* mea p. 168. expreſſe ſcripſi, *quando quæ ſint J. N. officia erga alios in vita ſociali quæritur, ea quæ vitam ſocialem per ſe tollere, & fini ſocietatum naturalium per ſe adverſari recte ratiocinando percipiuntur, lege naturali eſſe prohibita, dubium non eſſe*; qui etiam pag. ſeq. *non negavi in theſi, ſecundum ſocialitatem*, recte ſc. intellectam, *poſſe à nobis dijudicari, quid ſit J. N.* Addo nunc, (en quam liberalis ſim,) *Clementis Alexandrini*, *Auguſtini*, *Ambroſii*, *Lactantii*, ſuo loco, Deo annuente adducendorum, eandem eſſe Philoſophiam. Cæterum cum inadæquata ſit J. N. latitudini, malui pro ſocialitate ſubſtituer CHARITATEM, ſeu ſi aliis hoc eſſe nimis videtur Theologicum fundamentum, AMOREM, qui directe officia hominis erga Deum, ſeipſum & proximum ſeu ſocium, ſub ſe continet. Quo nomine præter Gentiles etiam noſtros, *Auguſtinum*, alioſque habeo mecum ſentientes.

§. 2. *Socialitas*, uti etiam Dn. *Puſendorf.* de J. N. & G. p. 183. innuere videtur, in hoc conſiſtit, ut appetant inter ſe conjungi, & conjuncti in cœtu ſui ſimiliam vivere velint homines, & quo ſic vivere poſſint, ſic adverſus ſe invicem ſe gerant, ne quid comittant, quo perturbetur, & tandem tollatur, vel minus tranquilla inter mortales ſocietas eſſe queat. Hujus culturam, ſc. uti rurſus *Puſendorf.* Elem. l. 2. p. m. 308. loquitur, *ut ita quiſq; ſe conſervare ſtudeat, ne ſocietas inter homines turbetur*, negavi recte in fundamentalis propoſitionis locum aſſumi, quæ ſc. fundamenti loco ſubſternatur Univerſo Juri naturali, cum ex *eadem officia*

erga

erga Deum, & nos ipſos, qua tales ſc. deduci non poſſint aut debeant, quia quomodo homines inter ſe vivere deceat, & quæ mutua illorum ſint officia, tantum dicit. Reſpondetur autem *huic objectioni ſatisfactum jam in* Specim. Contro. c. V. §. 25. Docetur verò ibi, *Religionem naturalem nativam velut ſedem in diſciplina J. N. non ſortiri*, ſed ex Theologia Naturali, vel prima Philoſophia in ea mutuo peti. Ego verò contra dico, religionem naturalem, ut habet rationem præcepti, omnino ad doctrinam J. N. perſe pertinere, licet quis ſit verus de Deo ſenſus alibi explicetur. De officiis etiam cultus Deo debiti, prout ea ratio, imperfecte licet, cognoſcit, & pietate, aliisq; primæ Tabulæ Decalogi quo J. N. continetur præceptis, ſuo jure agit Philoſophus Practicus. Vid. Dn. *Joh. Schilterus* Philoſ. Juris. c. 2. §. 4. ſeqq. Non enim Jus naturę ſecunda tantum Decalogi tabula abſolvitur, cujus prima quoq; tabula pars eſſentialis eſt. Taceo *Paulum* Rom. I. 19. 21. II. 15. Act. 17. 27. Religionem naturalem ad Jus naturæ referre. Nec nego male eam à nonnullis explicari, uti infelix hujus rei, ut de *Theologia Hobbiana* taceam, edidit Specimen *Herbert. de Cherbury*, caſtigatus licet hoc nomine à *Muſæus*, *Franckio*, *Kortholto* Theologis Jenenſi & & Kilonienſibus. *Tantum id heic obſervo*, addit, *ea verba quæ ex præfatione libelli mei de officio hominis & civis carpuntur, religionem naturalem ex ſocialitate indirectè derivari, inſidioſe interpolari, additis de ſuo verbis, ceu ex fundamento: quæ in loco, quem iſte reſpicit, non extant.* Ego verò hic obſervo, & cordato lectori dijudicandum relinquo, annon Dn. *Pufendorf.* nunc immutato quæſtionis ſtatu, *preſſius* de

Jure

Jure naturæ, quam olim, philoſophetur, ad ſemel inconvenienter poſita ſalvanda. Dixerat in Præf. operi majori de J. N. G. præmiſſa, ſe *fundamentum* UNIVERSI *juris naturalis poſuiſſe ſocialitatem hominis*; & in libr. de Offic. p. 36. *diviſionem officiorum quæ* IN LEGE NATURALI *homini incumbunt*, COMMODISSIME *videri inſtitui* SECUNDUM OBJECTA, *erga quæ iſta ſunt exercenda*, addiderat; *ita ut hoc intuitu in tres principales partes diſpeſcatur, quarum* PRIMA *tradit, quomodo ex ſolo rectæ rationis dictamine quis ſeſe gerere debeat* ADVERSUS DEUM. Annon hic dicitur, officia hominis erga Deum, ſeu religionem naturalem; (ἰσοδυναμοῦντα enim hæc Dn. *Pufendorfio* eſſe cap. 4. de Offic. oſtendit,) eſſe partem principalem Juris illius naturalis, cujus alibi fundamentum eſſe Socialitatem ſcripſerat? qui ergo me *inſidioſe ſua verba interpolare* ſcribit? Conſiderentur præterea & hæc verba: *Quanquam autem primario & directe ea præcepta legis naturalis, quæ ad alios homines ſpectant, ex* SOCIALITATE, QUAM FUNDAMENTI LOCO SUBSTRAVIMUS, uti univerſi J. N. ex Præf. Opp. J. N. & G. ita & omnium partium ejuſdem principalium, quarum numero etiam Religio naturalis continetur, *deriventur, tamen etiam indirecte officia hominis* ERGA DEUM, *tanquam Creatorem* INDE, ſc. ex ſocialitate, quam fundamenti loco univerſo J. N. ſubſtratum ivit, *deduci poſſunt.* Invito tamen, præprimis cum in *Specim. Controv.* aliter jam ſentiat, certe aliter loquatur, nil obtrudo. Adde quod iſta verba mea quæ *Pufendorf.* carpit, non tam antitheſin, quam meam theſin exprimant, ut proinde iſta improbare ceu non læſus non debuerit.

§. 3. De

§. 3. De *Amore ſui nondum probatum eſſe* ait, *illum in ſe, & ſi homo non conſideretur ut ſervus Dei, & ſocietatis humanæ membrum, eſſe in obligatione.* Verum qualis ſit *obligatio hominis* naturalis erga ſeipſum, *ſi non conſideretur ut ſervus Dei,* (nolo ob abſurdam & impoſſibilem hanc hypotheſin cavillari, ſicut ſupra Dn. *Puſendorf.* me ad hominem ex impoſſibili hypotheſi logice diſputantem tractavit) fruſtra quęritur, cum lex naturalis obliget ex divino in hominem imperio, quo non dato, non dabitur legalis obligatio, de qua unice quæſtio eſt. Poteſt itaq; erga ſeipſum homo obligari propter Deum, etſi non conſideretur tanquam ſocietatis humanæ membrum. Adde quod iſte amor ſui ſit in ſe perfectio, cum in ipſum Deum cadat &, proinde, ordinate modo ſe habeat, naturæ rationali quam maxime conveniens; ad quem extra vitæ ſocialis ſtatum, omnia animalia inſtinctum habere naturalem, Gentiles, *Cicero*, aliique obſervarunt. Ex noſtris *Auguſtin.* l. 1. de Doctr. Chriſt. c. 23. *quantumlibet homo excidat à veritate, manet illa dilectio ſui, & dilectio corporis ſui.* *Non falſa ſolum, ſed & Reipublicæ pernicioſa* ei dicitur *ſententia; neminem teneri alterum magis diligere quam ſeipſum;* Bene, ſi ita crude & nude accipitur. *Nam dantur caſus non infrequentes, ut vitæ & fortunæ noſtræ à nobis pro aliis impendi debeant;* & qui hoc negligunt facere, magis ſeipſos diligunt, quam alios, quod & ipſum ordinatæ adverſatur philautiæ. *Falſum* quoque addit *eſſe, quod quæ homo ſibi ipſe debet, regula ſint*

ſint officiorum, quæ alteri, qui cum vivimus, exhibere decet; atqui diliges ſocium *ſicut* te. Quomodo? explicavit *Juſtinus Martyr* in Dial. cum *Tryph.* f. m. 251. in *Diſquiſit.* p. 171. adductus; cui jam addo commentarium ligatum *Gregor. Nazianzeni:*

Τοιοῦτος ἴσθι τοῖς φίλοις, καὶ τοῖς πέλας
Οἵους σεαυτῷ, τοὺς δὲ τυγχάνειν θέλεις,
Οἷα πρὸς ἄλλους μὴ παθεῖν ὅλως θέλεις.
Τοιαῦτα καὶ σὺ μηδὲ δρᾷν ἄλλῳ θέλε.

Nec aliter Gentiles, vid. *Ariſtot.* 7. Eudem. c. 6. *Cicero* in Lælio & alibi, qui ſatis clare oſtendunt, ſibi non de Amore *concupiſcentiæ*, ſed *amicitiæ* eſſe ſermonem. Nec obſtat, *quod amor ille noſter, ne in devia abeat, neve ſocietatem humanam perturbet, per officia erga alios homines temperandus ſit*; hoc enim quando negligitur deſinit eſſe amor rectus, degenerans in perverſum. Quibus obſervatis concidunt ea quoque, quæ infr. p. 42. ſeq. de hac quæſtione contra me diſputantur.

§. 4. Poſt hæc diſquiritur: *Unde cognoſcatur, ſocialem vitam pro Imperio mortalibus à Numine eſſe injunctam?* theſin ipſam enim nunquam negavi. *Puſendorſius* repetita paucis ſua ſententia, *quæ in contrarium à me afferuntur* in Diſquiſ. p. 123. ſeqq. *vix aliud arguere* ait pag. 36. *quam inane ſtudium, aliorum labores maligno dente arrodendi.* Verum quam longè abſim à Cynica malignitate, vindiciæ hæ meæ oſtendunt, quando male licet ſæpius habitus, ab omni acerbitate abſtinuerim. Non de rationibus Tuis, Doctiſſime *Puſendorſi*, judicium tale tuli, quale nuper de illis ju-

 dicavit

dicavit *Nicetas Spilius* in Ep. Cur.p.92.ſeq.ſed ut in libera Philoſophorum civitate decet, rationes tuas ex Tuis principiis alicui *Carneadi* aut *Ariſtippo*, contra quod genus hominum, quo hodie non caremus, hanc inprimis eſſe muniendam Philoſophiam, Tu nec ipſe iveris inficias, cum illis etiam eandē velis oppoſitam, non omne de fundamento moralitatis naturalis in ſocialitate fundatæ, dubium eximere oſtenſurus, (etſi cauſam illorum minime agam) quid ſecundum illorum principia excipi queat, ſine maligno expoſui affectu. Ait *ex tali perſuaſione, quod Deus velit, jubeat, ut homo ſit ſociabilis, quod non temere in genus humanum invaſerit, ſed ex ipſa conſideratione humanæ naturæ promanaverit, recte ad inveſtigandam legem naturalem adſcendi.* Quid verò tum? Nam nihil aliud hinc evincitur, quam quod occaſione vitæ ſocialis, demum quæri poſſit, an & quali lege illa ſit præcepta? unde ut certo conſtet, illam pro imperio lege naturali injungi, firmiori opus eſt indicio. Non enim apodictica eſt hæc propoſitio: *Cum Deus naturam hominis ita formarit, ut neceſſarium ei ſit per legem vitam ſocialem imperari, Deum utiq; ejusmodi legem tuliſſe.* Nam, ubi datur talis? ſtatim excipient, qui legem naturalem dari negant. Imo connexionem Tuæ propoſitionis expreſſe negabunt; cum & per homines ejusmodi ſociales leges ferri queant, poſtquam neceſſitas illarum cognita; & vitæ ſocialis ratio inſtituenda ex ratione iſtius neceſſitatis inſinuata fuerit, uti fit in legibus etiam mere poſitivis. Quando verò p. 37. dicit, *poſſe aliquam utilitatem*

ſic eſſe comparatam, ut etiam neceſſitatem arguat; præſertim cum eidem argumento alia quoq; conjungantur; Nec quia Apoſtolus pietatem ad omnia utilem pronunciat, ideo eandem in præcepto non eſſe: Manifeſtum eſt à particulari diſcurſum formatum eſſe. Deinde utilitas non ſtatim infert neceſſitatem honeſtatis internæ, uti notum; multo minus ut à Deo ſtatim expreſſa lege aliquid præcipiatur, cum in vita ſociali multa ſint neceſſaria & utilia, poſitiva tantum lege præcepta. *Frivolum* Idem credit, quod *circa argumentum à religione & metu Numinis petitum* à me *movetur*; cum *omnes qui aliquam religionem & metum numinis agnoſcunt, hanc quoq; religionis partem fatentur, ut homo adverſus hominem ſocialitatis leges ſervet.* Atqui gentes quæ olim latrocinia inter licita habebant, ſocialitati utique inimica, *metum numinis* agnoverunt. Férociſſimus ſane mortalium Attila, æque ſuperſtitioſus legitur fuiſſe. Ut taceam de gentibus, apud quas ſtupra, adulteria, furta, homicidia impune committebantur, utique ſuperſtitioſis, vid. ex noſtris *Euſeb.* Præp. Evang. l. 3. & alibi. *Dapperi* quoque Africa & America. Ex Gentilibus *Sextus Empiricus* Pyrrh. Hypotyp. l. 3. c. 24. f. 528. Taceo Gentilem religionem cum inſigni ſuperſtitione conjunctam, ſic eſſe comparatam, ut per ſe foveat ſcelera vitæ ſociali inimica, ceu ab *Arnobio, Auguſtino*, aliiſque contra Gentes diſputantibus eximie oſtenditur. *Ratiocinium Pufendorfianum* à *conſcientiæ morſibus* ita formatum:

Si conſcientiæ morſus conſequuntur facta vitam ſocialem perturbantia, igitur vita ſocialis homini pro imperio à Deo eſt injuncta; an omnibus qui cum *Carneade*, contra quem hoc nomine etiam *Grotius* diſputavit, vel *Sexto Empirico*, vel hodierno etiam Empectæ & Libertino, jus naturæ iverint negatum, ſit ſatisfacturum, vehementer dubito, cum *morſus conſcientiæ* etiam à delictis contra legem poſitivam commiſſis provenire non repugnet. Quæ verò in *ſequentibus* Ei *inania* videntur, mihi dicuntur adhuc ſolida, & hactenus diſcuſſa ſatis oſtendunt, me non cum *propria umbra luctari*, ſed cum illis, quæ juſto liberalius à Dn. *Puſendorf*. diſputata ſunt.

§. 5. De *ſufficientia ſocialitatis* quæ *diſputantur*, *illis facile me ſuperſedere potuiſſe* putat, p. 38. *ſi ſcopus ipſius ſcripti, & quæ in Specim. controverſ.* c. 5. §. 25. *monuerat, obſervata* fuiſſent; ſed qualia illa ſint, jam ex parte ſupra vidimus, & ſcopus ejus ibid. explicatus, non exhaurit J. N. latitudinem debitam, quam nos ſpectamus. Cumque hac occaſione de homine violentas ſibi manus inferente diſputatio orta ſit, αὐτοχειρίαν ſe *illicitam probaſſe Puſendorfius* ait, *quia homo à Deo in hujus mundi ſtatione locatus eſt, & quia adeo ſervus Dei, & membrum ſocietatis humanæ eſt*, qua ratione etiam *Epictetum & Platonicos* uſos fuiſſe conſtat. Vult autem ut *probem*, *ullam homini ad ſe conſervandum obligationem eſſe*, *ſi idem nec Dei ſervus, nec ſocietatis humanæ mem-*

brum

brum foret: Verum illud nunquam in me probandum ſuſcepi, lege naturali hominem obligari ad conſervandum ſe, ſi non foret Dei ſervus: Implicat enim hoc. Obligari autem eundem ad idem faciendum, etſi nec ſocietatis humanæ membrum ſit, inde conſtat, quod hoc dato, non deſinat eſſe Dei ſervus, cui obligatur ad hoc erga ſe officium præſtandum. Imo eodem dato, *inerit eidem amor ſui, & conſervandi ſe, permanendiq; voluntas, atq; aſpernatio diſſolutionis*, ut cum *Seneca* Epiſt. 82. loquar. Cætera quæ à ſe *nuſpiam aſſerta* contendit, eidem etiam à me nunquam ſunt imputata. Illud verò non omni carebit *ſupercilio*, ſi quis jus naturæ excluſa prima, ſecunda tantum tabula Decalogi, quæ *hominum inter ſe officia complectitur*, continere auſus fuerit; ſi de jure naturali proprie velit loqui. *Injuſte à me arrodi* ait, *quod dixerit: religionem quatenus ad diſciplinam I.N. pertinet, intra ſphæram hujus vitæ terminari; quo nomine etiam ad ſocialitatem referri queat, quatenus ſocialitatis humanæ efficax vinculum præbet.* Verum religionem vinculum vitæ ſocialis eſſe, & ad ſocialitatem hac referri poſſe ratione, nunquam negavi; officia ejus exinde deduci poſſe non conceſſi, cum cultus divini ratio ſecundum ipſam Dei naturam, non vitam hominum ſocialem inſtitui debeat. Ne dicam hunc finem religionis, etiam quatenus jure naturali illa præcipitur, eſſe imperfectum, cum per ſe Deus coli velit etiam ex J. N. præcepto. Recte quidem dicitur, *de religione, quatenus ad ſalutem animarum poſt hanc vitam facit, agere, ad diſciplinam*

J. N. non pertinere; ſed *religionem naturalem*, ut complectitur officia Deo debita, *peculiari velle aſſignare diſciplinæ*, idem eſt ac officia primæ Tab. Decalogi peculiari Theologiæ morali velle tribuere. Unde quando ulterius addit p. 39. *Cum autem ei qui ſocietatis humanæ indolem, vincula, legesq; unice ſibi exponenda ſumſit, non poſſit divini Numinis conſideratio plane ſequeſtrari: quippe cum ab eo legum ſocialium origo & firmitas promanet, non alio quam hoc reſpectu religio in hac diſciplina conſiderari poteſt, quam quatenus ea ſocietatibus humanis firmiſſimum coagulum præbet, niſi diverſas plane diſciplinas turpi errore miſcere velimus*; ulterius dico, eum qui ſocietatis humanæ leges & officia unice ſibi exponenda ſumit, minime Univerſum J. N. tractare; deinde ex ſubordinatis facere oppoſita, quaſi unum eſſet faciendum, alterum omittendum; denique multiplicare ſine neceſſitate diſciplinas, & fingere confuſionem, ubi confuſionis non datur periculum. Relinque Metaphyſico, vel Theologi naturali ſuam Pneumatologiam; retine Tibi cultum Dei, ejusque officia explicanda, nec miſcebis diſciplinas, uti ambæ Tabulæ Decalogi, unam conſtituunt Theologiam Moralem ſine confuſione. Proceſſu verò tali, quo *calumnia*, *Geſeniana C. & cantilena, inanis ſolicitudo & febricitantium ſomnia objiciuntur*, minime opus fuiſſet contra me, ſi ab initio Dn. *Pufendorfius* quæſtionem diſtinctius, aut preſſius, uti jam, tractaſſet. *Deum enim ſta-*

torem

torem & autorem vitæ legisq; ſocialis eſſe, nec citra hanc perſuaſionem civilem ſocietatem firmo ſtare talo poſſe, rectiſſime dicitur à Viro Doctiſſimo. Negamus etiam *perinde eſſe, ac ſi dicat, religionem etiam ſalvificam pro ratione ſtatus eſſe formandam; aut ficta religione ſimplici plebeculæ eſſe illudendum.* Verum olim non erat ſic; uti clare ſupra p.78. & ſeq. oſtendi. Certum etiam eſt Gentiles crediſſe olim, Romanos ſc.& Græcos, πολυθεότητα ſocialiorem eſſe Numinis unitate. Nec ſtatim *calumniæ* jure *convincitur*, qui quid logice ſequatur, oſtendit: Nunquam autem Dn. *Pufendorfium* iſta quæ p. 129. ſeq. diſputantur in vita ſociali introducta velle dixi: quæ etiam maxima ex parte quæſtionis illuſtrandæ gratia adducta ſunt.

§. 6. Cum vero pro *ſocialitate* ego *ſubſtituerim Charitatem*, antequam hoc carpere incipiat, taxat, quod ſocialitatem eſſe J. N. normam dixerim, cum ſit *fundamentum, & eo quidem etiam ſenſu, quo dilectio fundamentum legis*, quæ eſt lex naturalis repetita, Decalogi ſc. *dici poteſt*. Annon vero lex norma dici poteſt? quid ni ergo ſocialitas, quam pro imperio à Numine mortalibus, & ſic legaliter, hoc eſt, normaliter injunctam *Pufend.* contendit, norma dici poterit? Ex ſubordinatis non ſunt facienda oppoſita. Ait equidem, *charitatem pro fundamento legis naturalis ex Chriſtiana diſciplina à me ſubſtitui*, conſentiente nec refragante coetu Gentilium, *nec ſe*

ſane repugnante, cum iſta ſocialitati amice conſpiret: Sed latior eſt Charitas, quæ æqualiter utramque tabulam Decalogi, & ſic univerſum J. N. complectitur, cum ſocialitas Pufendorfiana ad ſecundam Tab. referri debeat. Ait meum inſtitutum & fundamentum magis *Theologiam moralem ſapere*: Fingamus ita eſſe, quid verò tum? Chriſtianam enim non mere Gentilem, ad Gentilium tamen captũ accom̃odatam, amo tradere Philoſophiam. *Vſum autem fori humani ob oculos habenti, ſocialitatem magis videri congruam.* Ita vero nec mihi, nec aliis videtur, cum & in *foro* ad Charitatem Chriſtianam vel maxime reſpicere debeamus, cui nihil quod adverſatur ſociale dici poteſt: facilius etiam ſocialitatis blanda & amabilis imago à falſa ſocialitate induitur, quam ut ſub charitatis Chriſtianæ larva decipi queamus. Addo tamen, quod, ſi *ſocialitas* tam late pateret, & univerſi J. N. officia tam apte contineret, atque *Charitas*, ubi conſenſus eſt in re, non difficulter quoad vocem inter nos futura eſſet concordia. Addit: *Et ex uſu fori humani certa tantũ ſunt officia, quæ ex charitate proprie provenire dicuntur. Vnde qui v. g. æs alienum exſolvit, & alia ex obligatione perfecta præſtat, non ex charitate agere dicitur.* Verum cum hæc ſententia Moraliſtarum & Scholaſticorum, qui tamen non ſine Sophiſtarum Elogio apud *Pufendorf.* celebrantur, charitatis & Juris regulas diſtinguentium opinionem, à Dn. *Zieglero* & *Oſiandro* in *Grot.* ſufficienter caſtigatam recoquat, ulterius nil addo.

§. 7. Cæ-

§. 7. Cæterum non ſine acri vehementia rurſus *Pufendor.* *quam maxime*, inquit, *cavendum ab illa fallacia, per quam Zentgravius, aliiq; viam ſibi ad calumniam ſtruunt, dum ſocialitatem humani generis confundunt cum peculiaribus inter homines ſocietatibus, & quæ ad illam neceſſario faciunt cum his, quæ ad ſingularem harum felicitatem referuntur.* Sed vana eſt, ſi applicetur, hoc loco hæc diſtinctio. Cum quicquid neceſſario ad finem & conſervationem ſingularum humani generis ſocietatem facit revera ſociale ſit, & negari nequeat ad humani generis ſocietatem neceſſario etiam facere, quicquid ad vitam ſocialem in certa ſocietate colendam & conſervandam neceſſario pertinet; certe quod mediate & καθ᾽ ἄλλο ad finem & conſervationem vitæ ſocialis facit, æque vere id præſtat, atque id facit, quod idem agit immediate: Nec apparet, qui id ſociale vere dici queat, quod ſingularum ſocietatum affligit felicitatem, quod ſocietates particulares tollendo, ipſam univerſi generis humani ſocialitatem & conſociationẽ affligere aptum eſt, imo affligit. Audiamus verò uſum hujus diſtinctionis: *Quo obſervato* inquit. p. 41 *haudquidquam ſub cenſum legis naturalis venient etiam ea, quæ in ſe indifferentia ſunt, utut ſocietatum humanarum perticularium utilitatem promoveant.* Atqui dum hæc ita promovent utilitatem ſocietatum particularium, hoc ipſo ſunt ſocialia, facientia ad finem & conſervationem vitæ ſocialis: Et ſi neceſſaria ſunt ad ſingularum ſocietatum utilita-

 tem,

tem, neceſſario quoque faciunt, mediate licet, quod ad rem parum facit, ad finem & conſervationem vitæ ſocialis, & ſunt conſequenter J. N. ſecundum concluſionem *Pufendorf.* paulo ante factam. Imo quicquid J. N. præcipitur, ceu pertinens ad utilitatem humanæ ſocietatis particularis, ſeu majoris ſeu minoris, hoc ipſo quoqe deſinit eſſe indifferens reſpectu ſocialitatis univerſi humani generis: Non enim integrum ſanum eſt corpus, cujus unicum male afflictum eſt membrum; & morbus hominis etiam vocatur, quanquam unum tantum ejus membrum male habeat.

§. 8. Hoc impetu abreptus invehitur in celeberr. noſtrum Theologum Dn. D. *Balthaſarem Bebelium*, cujus verba ex Diſſert. *de Principiis Officii Chriſtiani naturali & revelato* p. 139. in Diſquiſ. p. 172. à nobis adducta, & ad diſcurſum de *ſocialitate*, ſi quocunque modo ſc. & illimitate ea intelligatur, accommodata ſunt. *Pufendorfius* hoc quæſtionis ſtatu neglecto, quaſi omnia in eum præciſe directa, & ſocialitati cum rationalitati conjunctæ oppoſita forent; quæ tamen contra illos dicta ſunt, quos ut *Gram ond.* Hiſtor. Gall. l. 5. loquitur, *à contemptu religionis dixere Politicos*, quibus ut alibi idem ſcriptor loquitur, *plerumq; Deus & religio pro nihilo ſunt*; me verba Viri celeberrimi adferendo, *adducere* ait *ſcrupulos Viris cordatis indignos, ac prope aniles*; cujus etiam diſcurſum *ratiocinium* appellare non erubeſcit, *quod mulierculæ forſan & olitores cum plauſu excipient.* Sunt verò Dn. D. *Bebelii* verba hæc: *Faſſi ſumus antea, utilitatem veram promovere, id eſſe J. N. & Gentium, ſed negavimus, naturam ubivis dictare, quid utile ſit revera & conſtanter*: facile enim etiam in rebus externis ceſpitat. Vid. *Grot.* J. B. 2. 23. 1. *Utile putet*

religionem veram fovere, quamdiu Reſpublica in tranquillo ſtatu eſt, ſin autem ea propterea turbetur, vel in periculum adducatur, quod jactura religionis hactenus receptæ averti poſſit, annon cogitur ſua ſc. naturæ lege veram religionem abjicere, ut reſp. ſervetur. Hoc eſt illud *mulierculæ ratiocinium*? Enimvero in Hiſtoriarum monumentis eruditorum ego neminem ſic putaverim facile hoſpitem, quin ſciat non ſemel hoc contigiſſe, id quod ad inſtitutum Dn. D. *Bebelii* ſatis eſt. Excipit verò *Puſendorf. primo ſocialitatem generis humani cum utilitate unius autem alterius oppidi vel provinciæ male confundi. Socialitatem enim iſtam nunquam poſtulaturam, ut vera religione ob quemcunq; reſpectum abjecta falſa ſuſcipiatur.* Verum jam oſtendimus, diſtinctionem hanc, alias ſatis bonam, nec à nobis ignoratam, ad præſentem controverſiam gratis adhiberi. Uti enim generis humani ſocialitas nullo in caſu falſam ſuſcipi poſtulat religionem, ita nec utilitas gentis vel provinciæ, cum nihil ſit utile, ni ſimul ſit honeſtum, uti eximie *Plato* & *Cicero* docuerunt. Nec apparet qui non ad ſocialitatem generis humani facere dici debeat, quod à Gente & oppido, clades, & ſic à genere humano, hodie in cœtus & civitates diviſo, ſanguinis profuſionem avertit. Et quis negaverit Gentiles Imperatores in Chriſtianos ſæviendo, omnino in ſocialitatem humani generis peccaſſe, licet in unum tantum hominum genus rabiem crudelitatis effunderent. Ita Muhammedis lex de perſequendis à ſacris ipſius diſſentientibus, etſi quietem gentium duntaxat certarum tollat, non tamen puto aliquid obſtare, quo minus in ſocietatem generis huma-

humani impingere recte dicatur. Cætera quæ ſequuntur, ſupra jam ſunt à nobis diſcuſſa. Reliqua Dn. D. *Bebelii* verba non reſponſione, ſed conviтiis excipit p. 42. ſine cauſa; in quibus inter alia *vocabulum Reipublicæ* taxat, *quod omitti debuiſſe* contendit. Miror vero qui ſic arguat, cum & ipſe officia *Civis ſecundum legem Naturalem* explicatum alibi iverit. Quaſi vero in *Republica* nulla foret ſocialitas, vel ſocialitatis leges in civitate non obſervandæ forent.

§. 9. Poſtquam itaque Amicum veterem, qui ne ad *Puſendorſium* reſpicere, vel verbo Eundem lædere in animo habuerat, ita tractaſſet, ſe mihi rurſus objiciens reprehendit, quod de *ſocialitate*, quo illa non abuti liceret, limitate, quatenus ſc. *cum rationalitate conjuncta eſt*, verba fecerim, id *ineptum* eſſe contendens, *quaſi ſibi de ſocialitate formicarum & ſturnorum, non de ſocialitate animalium rationalium actum foret*. Atqui hoc ego non dixi, ſed doctrinæ ergo, ne qualiscunque ſocialitas, & quocunque ſe inter homines habens modo, perverſe intelligatur, quo rite explicetur, limitate de illa recte ſermonem eſſe, & *rationalitatem* ei adjungi affirmo: ut oſtendatur, non qualemcunque hic ſocialitatem intelligi, ſed rectam, bene compoſitam, & naturæ humanæ convenientem, ſicut etiam de ſocialitate *Grotium*, *Bœclerum*, *Rachelium*, *Uffelmannum* locutos eſſe conſtat. Quæ denique de *amore ſui Puſendorf.* ſubjicit, diſcuſſa jam ſunt per ea quæ ſupra de hac quæſtione diximus; quæ docent, noſtram ſententiam cum vitioſa *Hobbii* Philautia nihil habere commercii.

CON-

CONTROVERSIA VI.

De Conformatione creaturæ rationalis cum Deo.

§. I. SEntentiam noſtram de hac, ſecundum Diſciplinam Chriſtianorum ad captum Gentilium expoſuimus in Diſquiſ. art. 9. Hanc vero ut carperet Dn. *Pufendorf.* illam *pro ſocialitate obtrudi à me* ait, cum tamen *huic ſcopo parum ſit accommoda.* Verum à me non plus dicitur, quam quod homines ad aſſimilationem cum Deo teneantur, tanquam ad finem ſuum lege naturali præceptum. Diſquiſ. l. c. §. 12. 15. ſeqq. Notiorem autem quoad nos in hac Philoſophia eſſe illam *Charitate,* quam pro fundamento ſubſtituo J. N. nunquam dixi. *Finis* nimirum *internus* eſt J. N. aſſimilatio hominis cum Deo; *externus* felix & tranquilla humani generis conſociatio, ſub divino per homines imperio. Obtinetur hic per triplicis generis actiones ex *Charitate* (ſi quis *amorem*, vel *amicitiam*, vel *Cumberlandi Benevolentiam* velit ſubſtituere, per nos licebit) potius, quam *ſocialitate*, quæ ceu ſtrictior, ab illa ceu latiore continetur, profectas; *pietatem* ſc. ſeu cultum divinum; *rationalem ſui amorem*; & *mutua* hominum *officia.* Qua vero ratione ad Aſſimilationem dictam hæc reduci, & ex iſta etiam deduci queant, oſtendimus, paucioribus licet, p. 328. Putat equidem, *non ſtatim ad captum eſſe omnium hominum, quod aliqui Platonici aut Stoici per ſolitam*

ſibi grandiloquentiam jactant; verum quicquid eſt ad captum gentilium, æque eſt ad captum omniũ hominum, atque ſocialitas; accipiatur id eo modo ſenſu quo à Gentilibus docetur: Nam nec illi aliam quam generalem aliquam aſſimilationem intellexerunt. Unde non negamus quidem, *ſanctitatem*, *miſericordiam & beneficentiam diverſa ratione in Deum, atq; in homines cadere*, vid. Diſquiſ. art. 9. §. 2. 17. 20. Et τὸ *ſicut*, non notat æqualitatem in quantitate, gradu & ordine, ſed potius qualitatem in veritate; h c tamen exinde ſequi non concedimus, *magnam partem officiorum inde liquido* non ſic *poſſe deduci*, ut à poſteriori divina attributa practica, quatenus ad imitandum nobis propoſita ſunt, illa à nobis poſtulare, non poſſit doceri. Certe ſi probavero aliquem facto aliquo comiſſo, id quod inhumanum eſt egiſſe, recte dicere queo, eum non eſſe miſericordem & beneficum, qualem eum ad imitandũ propoſita divina attributa eſſe jubent; uti de facto, quo læditur injuſte proximus, recte pronuncio illud contrariari ſocialitati, id quod ad probandam & urgendam conformationem creaturæ rationalis cum Deo, qualem Philoſophia ad captum Gentilium tradit, ſatis eſt. Cæterum bene fecit Dn. *Pufendorfius*, quod *noluerit hoc cavillari*: Sanctitas Dei eſt ἀρχέτυπον mali: Feciſſet enim quod virum eruditione, ingenio & fama inclytum minime decuiſſet. Non enim lego me ſcripſiſſe: *Divinæ rectitudinis ſanctitas eſt boni & mali* ἀρχέτυπον; cum ſic mea in *Proœmio* habeant verba: Ἀρχέτυπον autem *boni & ut* Plato *loquitur*, *pulchri*, *ut eſt divina ſanctitatis rectitudo* &c. Quan-

&c. Quanquam ſi vel maxime ita verba poſita forent, non deeſſet commoda explicatio ad eludendum cavillum. Inſtat p. 44. Atqui *ut liquido diſcerni queat, quæ attributa divina ab homine utcunq; exprimi poſſint & debeant, quæ non poſſint, ad noſtra demum principia erit recurrendum.* Rectius id vero à Philoſopho adhuc ad univerſi humani generis captum ex ſcriptura ſacra tradi poteſt; plenius etiam ex *Charitate* quam ex *ſocialitate.* Imo Gentilium Philoſophis, etiam Sinenſium *Confutio* ſe magis probaverit hypotheſis de Conformatione & aſſimilatione cum Deo, quam Socialitas. Quæ vero de *multitudine hypotheſium*, & *tricis* ſubjicit, neminem qui tricas non amat movent; quæ autem de *liquida ac diſtincta cognitione* objicit, partim jam diſcuſſa ſunt, partim ad quæſtionis ſtatum non pertinent, uti ſub initium hujus Controv. obſervavi. Doctiſſime etiam Dn. D. *Alberti* diſcuſſit hactenus, quæ de *Imagine Dei ſenſu biblico & Eccleſiaſtico accepta* quærit *Puſendorf.* Cum enim ſerio rem illum non agere appareat, ſerio ut nos reſpondeamus, & actum à viro celeberrimo denuo agamus, opus non eſt. Tandem perſtringit Dn. *Puſendorfius*, quod nuper *Specimen J. N. ſecundum diſciplinam Platonicam* ediderim. *Et ne*, inquiens, *tricandi materia deſit, jam etiam ſi Diis placet, jus naturale adornandum ad diſciplinam Platonicam, & circa ejus dicta accommodanda ac detorquenda labor eſt ſumendus: velut parum ſit ſcholas per tot ſecula explicandis Ariſtotelis textibus incaſſum inſudaſſe.*

ſudaſſe. Equidem maxima fuit ingenii vis Platoni, fuit & Ariſtoteli; ſed ut diſciplinæ abs nativa ſua habitudine ad ipſorum tradita utiq; detorqueantur, id neceſſum non eſt. Verum Diſciplina J. N. non detorquetur ad placita horum Philoſophorum, ſed oſtenditur ſaltem, qua ratione, quibusque argumentis hi Philoſophi quæſtiones juris naturalis explicatum iverint, retentis illis quæ ſunt probanda, rejectis verò iſtis quæ cenſura notari merentur. Ut enim in verba magiſtri hic juremus, ſicut inepte olim Scholæ fecerunt, minime eſt neceſſe. Scio tamen alibi eruditos de hoc inſtituto mitius judicaſſe, quam Dn. *Puſendorf.* tulit judicium.

CONTROVERSIA VII.

Quomodo J. Naturæ; & an in Infantibus detur.

§.I. D*Iſplicere mihi* ait §. 19. *quod propoſitiones actuales & diſtinctas circa agenda & fugienda in animis infantum deprehendi neget*; addit tamen, me *ipſum diſerte eas ſtatuere non audere*. Sed non ita ſum moroſus, ut quod ipſe non audeo affirmare, id in aliis eruditis, qui idem non faciunt, mihi diſpliceat. Rem ipſam vero quod attinet, ſatis expreſſum in Diſq. puto ad eandem ſignificandam, *quod per ambages à me dici* ait. Quid ſibi autem videatur, ita docet: *Dico; uti infantes quidem rationem*

tionem habent, actu exſerendam, ubi ætas acceſſerit, nec ideo tamen per infantilem ætatem actualia & diſtincta obſervantur ratiocinia: ita ineſt utiq; animis infantum facultas intelligendi legem naturalem, quando uſus rationis ſeſe exeruerit; ut tamen ante uſum rationis actuales & diſtinctæ propoſitiones non adſint. Aſt ego contradico, non tantum intelligendi facultatẽ, ſed etiam ante uſum rationis dari aliquas κοινὰς ἐννοίας innatas, diſcrimen honeſtorum & turpium inſinuantes, intellectui paſſivo à nativitate ſtatim congenitas, eo ſc. ſenſu quo imago Dei olim concreata fuit, & innata poſteris fuiſſet, ni lapſu hac felicitate homo excidiſſet; ſive quis has ſpecies intelligibiles practicas connatas *propoſitiones diſtinctas & actuales* vocare velit, ſive non velit, per me licet, modo res ipſa non negetur. Quando verò p. 46. ex Rom. 2. 15. *conſequi duntaxat negat, actuales & diſtinctas propoſitiones de legibus naturalibus infantum animis inhærere*, eo ſc. ſenſu, quem jam explicavi, ei ulterius nil addenti oppono meum [illegible]o, confirmatum §. 19. & ſeq. Art. V. Equidem, *nõ opus eſſe* ait, *ut mecum litiget, cũ neſcire videar, quale genus actionis ſcriptio propriè dicta notet.* Sed videtur ipſe potius veram ſcriptionem cum certo modo ſcribendi confudiſſe, & hoc negato, illam una àviſſe negatum. Pergit: *Dictum Luc.* II. 12. *eo tantum fine à ſe adductum fuiſſe, ut oſtenderet, æquipollere phraſes illas, recondere aliquid in corde ſuo,*

 & in-

& inſcribere cordi: Sed non repugnat id quod eſt in corde reconditum, eſſe quoque per naturam inſitum; connotatque τὸ *inſcribere* una certum recondendi modum; per ſpecies ſc. in corde expreſſas. Inſtat ulterius: *Ex eo porro, quod vis & obligatio conſcientiæ non ſit ab adſuetudine, ſed à Deo, nimis liberaliter infertur: animis infantum actuales, & diſtinctas propoſitiones circa agenda & fugienda adeſſe.* Verum miſſa de *propoſitionibus diſtinctis* exagitatione, cum de ſpeciebus impreſſis annatis loquor, niſi rationes addantur à Viro Doctiſſimo, meum nego tantum valet, quantum ipſius ajo, & contra; potius liberaliter dico ita inferri: *Quando dicitur, legem naturæ intellectui hominis quid eſſe ſuperadditum, obſervandum eſt, legem primo & proprie in legislatore eſſe, cujus notitia dein ſubdito imprimitur. Eoq; & lex naturalis, non eſt pars hominis, aut facultas aliqua congenita*: Quaſi vero aliquid eſſe in mente Dei, & homini inditum per naturam, forent incompoſſibilia; quanquam non meminerim, me legem naturalem vel *partem*, vel *facultatem, hominis* alicubi appellaſſe. Illa vero plane inſufficiens eſt explicatio, *quando, ut eadem lex à Deo inſita homini dici queat, ſufficere* ait, *naturam hominis à Creatore ita formatam & diſpoſitam, ut notitia ejus legis, utiq; animo hominis ſeſe inſinuet quamprimum rationis uſus ſeſe exerit*. Nam hoc modo potentialiter inſita tantum, hoc eſt, revera non inſita, ſed potius

potius ſuo tempore inſerenda dici debet; imo acquiſita potius, quam inſita, ſicut & ſcientiæ aliæ, Mathematicæ v. c. acquiruntur. Sed videtur *Puſendorf.* confundere ipſa principia, cum principiorum uſu & promptitudine in judicando ſecundum illa, hæc uſum rationis & crebrum exercitium ſequitur. Adde, quod id quod nondum exiſtit, ſecundum Dn. *Puſendorf.* nec verum quid, & proin uti nec lex, ita conſequenter etiam nec lex naturalis dici debeat. Plane verò inconvenienter addit: *Sicut v.g. non neceſſum eſt, ut organis ſenſuum ſpecies viſibiles actu ab ipſa natura inhæreant, ſed ſufficit illa per naturā ſic eſſe diſpoſita, ut ubi ab iſtis feriantur, ſtatim eadem comprehendere & dijudicare queant. Sic & mens hominis à Deo formata eſt, ut ſtatim atq; ſuper actionibus ſuis ſe poſſit reflectere, de eorum rectitudine & pravitate, & num ſibi conveniant, an minus, judicare queat.* Num enim ſpecies viſibiles dicuntur inſitæ, ſicut lex naturalis à Deo inſita homini dicitur, & à D. *Puſendorf.* ita dici conceditur? Num leges naturæ dicuntur naturales tantum eo ſenſu, quo ſpecies viſibiles naturales ſunt Organis ad apprehendendum & dijudicandum? Illud verò me parum movet, quando p. 47. ait, *ea vis mentis humanæ lumen, an ſemen, radius an ſcintilla vocetur, ſua nihil intereſſe, cum nihil horum actuales & diſtinctas propoſitiones notet.* Nam nec mea aliquid intereſt, qui de appellatione digladiari nolo; quanquam facile appareat, quo ſenſu & cur *luminis, ſeminis & radii* vocibus

uſus fuerim: modo rem ipſam obtineam, ſc. internum aliquid habituale, hoc eſt ſpecies intelligibiles practicas, impreſſas menti & connatas. Mirum vero eſt, quando *ſcire vult, quibus popularibus verbis meum hoc habituale explicaturus ſim*; annon enim de dormiente quoque dicere ſolemus, quod multa ſciat, (Dieſer Mann der hie ſchläfft weiß ſehr viel) ſc. habitualiter, & actu primo. Unde non *ſunt ſine mente ſonus*, quæ p. 251. Diſquiſ. de notitia nat. quam habent infantes, dixi; potius pro imperio ſatis *quæſo* inquit, *amove iſta verba inſignificantia, & ſi quid dicere velis, dic, infantum animis ineſſe actuales & diſtinctas propoſitiones; & ſimul eas nobis oſtende*. Sufficit enim me probaſſe, leges naturales primas eſſe actu per naturam inſitas: Defini tamen Tu prius diſtinctas illas propoſitiones, quæ ſunt actu expreſſæ in viro aliquo docto, eaſque oſtende, ut ſcire poſſimus, quid adhuc ſciat, & quid oblivioni tradiderit.

CONTROVERSIA VIII.

An

Jus naturæ dirigat etiam actus interiores.

§.I. QUæ de hac controverſia *reſtant, exigui ſunt momenti*, cum cætera ſatis à Dn. D. *Albert.* ſolide

lide ſint diſcuſſa. Putat Dn. *Puſendorf.* ni *Theologiam Moralem cum I. N. confundere velimus*, dici debere *I N. ſcita ad uſum duntaxat fori humani adaptanda* eſſe, *jusq; naturæ dicto modo tractatum* maximam partem *circa formandas hominis actiones exteriores verſari.* Sed non in Theologiam moralem falcem immittimus, quando interiorem actuum honeſtatem urgemus, quã Gentiles etiam præceperunt; nec eo quo debet J. N. tractatur modo, ſi maximam partem circa formandas actiones exteriores illud verſari dicitur. Honeſtatem enim & juſtitiam internam reſpicit jus hoc, etiam quatenus inter Gentes, cunctosque homines intercedit, vinculumque humani generis commune eſt; quæ primario in motu interiori datur, ex quo exteriores promanant. Unde cum actiones interiores latius, certe æque late pateant, pluresque etiam ſint quam exteriores, rectius maximam partem circa formandas actiones interiores verſari affirmatur. Huic Juris naturalis indoli quoque tractatio reſpondere, non verò repugnare debet. Nec dicendum eſt Jus naturæ in vita hominum ſociali, non alium habere uſum, vel ad uſum fori non aliter debere adaptari, quam habent leges mere civiles, aut prout hæ adaptari ſolent in vita exteriore. Dicit, *quod in foro humano & diverſas inter gentes maximam partem ſuper actionibus exterioribus diſceptetur, impudens fore negare*, p. 48. Bene: Sed & actus interni, quatenus in externos influunt, inter gentes bene vel male audire ſolent. Quod vero *cogitationis pœnam in foro humano nemo luat*,

non ſit, quaſi in Jus Nat. commiſſum actione interiori in foro humano non eſſet vere peccatum, vel ſceleris cogitationem, etiam quæ plane recondita manet, non improbarent Populi, ceu moraliter malam: Conſtat enim malam mentem ſæpius accuſatam. Sincera fides datur, ſincera pax juratur, id quod mente fit; ſed quia *natura humana non congruum eſt, ut ex actibus mere internis jus aut obligatio inter homines naſcatur*, vid. *Grot.* J. B. I I. 20. 18. *Si à fratribus noſtris aliquis lapſorum fefellerit, ut pacem ſubdole petat, impendentis prælii tempore communicationem non præliaturus accipiat, ſeipſum fallit, qui aliud corde occultat, & aliud voce denunciat. Nos in quantum nobis & videre & judicare conceditur, faciem ſingulorum videmus; cor ſcrutari & mentem perſpicere non poſſumus*, glorioſus Martyr *Cyprianus* ait. Annuunt Gentiles. Falſum autem eſt, *impuritatem cordis & actionum conſiderare ad Theologiam ſpectare*, ſi excluſive loquatur *Pufendorf.* contradicunt enim eidem morum Doctores inter Gentiles: *Seneca*, *Ariſtotelis*, *Plutarchi*, *Platonis*, loca in Diſquiſ. p. 53. ſeq. adducta ſunt. De Stoicis vid. *A. Gell.* Noct. Attic. l. 19. c. 1. Et egregiam haberemus Philoſophiam moralem, etiam prout Theol. Morali contradiſtinguitur, ejuſque uſus in foro ſe exerit, ſi non æque interiores atque exteriores motus, ratione ſibi convenienti, ex lumine ſc. naturali, non revelato, dirigeret, atque interiorem quoque æque harmoniam præciperet. Inſtat: *Eſt & illa ſequela oppido quam craſſa: Diſciplina I. N. ad forum humanum adaptata maximam partem circa exteriores hominis actiones verſatur; igitur impune licet in mente atrocia quæque moliri ſcelera.* Qui verò ſic? *Nam nos*

uiiq;

utiq; paſſim diſcrimen divini & humani fori inſinuamus. Sit ita: Nec liceat per forum divinum; licebit tamen id, nec erit prohibitum per jus naturæ, quatenus hoc ex Tua mente ad forum adaptatur humanum. Taceo leges naturales, etiam prout ad forum humanum imperfecte adaptantur, ad forum internum conſcientiæ, utique divinum, reſpicere, ut proin diſtinctio objecta quoad hanç quæſtionem inanis ſit. Curioſius verò paulo agit Dn. *Puſendorf.* quando *Objectionem* allatam, cui oppoſuerim ſcire avet; omnibus opponitur, qui J. N. quod eſt effectus divini in homines Imperii, interiores actus formare negant. Nec licet homini ad forum ſuum jus hoc adaptando, ſeparare quæ Deus conjunxit; manet enim ſic adaptatum adhuc divinum jus. *Neſcio etiam* ait, *quam accurate dicatur, actiones exteriores ſigna eſſe*: Aſt ſi ſermo externus eſt ſignum interioris, quidni exterior actio ſignum interioris dici poterit.

§. 2. Controverſiam de *Decalogo*, quod velit *Theologis relinquere*, bene fit, cum *neſciat, anſint probaturi, obligationem Gentilium ad legem moralem & naturalem à promulgatione decalogi in monte Sinai facta* etiam *derivari*; quomodo enim contra Scholaſticos hoc noſtrates doceant, diſcere poterit ex Dn. D. *Calovii* Bibl. Illuſtr. Tom. 1. f. 396. Dn. *Oſiandr.* Theol. Moral. p. 321.

§. 3. Bene quoque ſe res habet, ſi mecum conſentit, quoad ea, *quæ ſuper pudore à me traduntur.*

§. 4. Tandem concludit *neſciens, quid* mihi *in*

mentem venerit, quod dum ipſe negatū eam, legem naturæ eſſe ipſam vim animæ noſtræ intellectivam & facultatem judicatricem, verba ipſius p. 179. *velut iſtam ſententiam propugnantia adduxerim, cum d. l. utiq; primorum & verorum principiorum, ſeu axiomatum à ſe expreſſè mentio fiat, quæ ſane à vi animæ differunt.* Sed non adducuntur verba Puſendorfiana; ceu allegatam ſententiam propugnantia: ſed de obligatione dictaminum, quæ ratiocinando intellectus colligit, diſquirebatur, cum *Puſendorfiana* allegatio fieret.

APPENDIX

Contra

CL. DN. SAM. STRIMESIVM,

Prof. P. Francof. Viadrin.

Exhibens

COROLLARIUM
APOLOGETICUM,

Stricturis ejuſdem oppoſitum, & contra
Illius recens editum

COROLLARIUM
ANTAPOLOGETICUM
vindicatum.

Digitized by Google

§.I. CUm *Vir Clariſſ. Dn. Samuel Strimeſius*, *Prof. Francofurt. Viadr.* *Origines Morales* cum animo ſuo edere conſtituiſſet, placuit quoq; eidem, meam de *Ratione Formali Moralitatis*, quam in *valore* poſitum judico, ſententiam in Diſquiſit. de Origine Jur. Natur. p. 242. exhibitam perſtringere: cujus ſtricturis ſequens objicere *Corollarium Apologeticum* tunc operæ pretium duxi.

COROLLARIUM APOLOGETICUM.

QUæritur in quo conſiſtat *Ratio Formalis τῦ* eſſe *Moralis*? Cum Moralium doctores diſſentiant, viſum nobis fuit in *Diſquiſ. de Orig. I. N. art.* 8. §. 13. eandem ponere in *valore*, quo tantum ponderis & momenti, id quod morale dicitur, habet, ut non ſit inane quid & plane nihil, ſed tantum valeat, ut verum ponat effectum, in quo idem deprehendas pondus. Diſplicet hoc *hoc viro Clariſſ. Samueli Strimeſio, Profeſſ. Electorali Francofurtano*, qui in celeberrimi *Pufendorfii* gratiam, quem tamen ex inſtituto confutare cum animo ſuo conſtituerat, meam hanc ſententiam, quam eandem quoad rem cum opinione *Bonaventuræ Baronis* eſſe credit

credit, ita nuper in *Origin. Moral.* p. 136. perſtrinxit: *Idem*, inquit, *omnino*, quod ſc. Bonaventura Baro in imputabilitate, quo minus ſit ratio formalis Moralitatis, deſideravit, *Pufendorfio, Imputabilitatem nobiscum defendenti, noviſſime oppoſitum reperio à Viro Clariſſimo Ioh. Ioach. Zentgravio, Profeſſore Argentoratenſi, qui ut cum canonibus quoq; Logicis in gratiam rediret, neq; conceptus imputabilitate prior, (quo moralitatis formale complecti annititur) in modo peccaret, duos conceptus moralitatem dividentes, Bonitatem nempe & malitiam, ad unum Valorem revocat, quem rationem proximam auguratur, cur actus aliquis moralis, id eſt, vel bonus audiat, vel malus cenſeatur.* Atqui (1). Quæritur, quænam ſit *ratio formalis τῦ eſſe moralis præciſe & generice* ſpectati, & prout á *moralitate* tam *ſubjectiva*, ſive agentis, quam *objectiva* abſtrahit, non vero determinate, in quo conſiſtat moralitas *ſubjectiva*, ſive agentis moralis: ita vero diſputat l. c. Clariſs. *Strimeſ.* (2) *Baro* rationem à priori *imputativitatis* dicit eſſe *Bonitatem* & *Malitiam*, quod ego nego, ceu qui diſtinguo inter *imputativitatém præciſe itemq; abſolute*, & *determinate*, ſive cum *modo*, prout ſc. eſt ad laudem vel ad vituperium, ſpectatam: Illius ratio eſt à priori *valor* ille de quo loquimur; hujus *bonitas* & *malitia.*

litia. Fallitur autem *Vir Clariſſimus*, quando exiſtimat, me *duos conceptus moralitatem dividentes, bonitatem nempe & malitiam ad unum valorem revocaſſe*, cum nō duas has τȢ *eſſe moralis* differentias dividentes NB. uno nomine expreſſum iverim, ſed conceptum genericum & rationem moralitatis ut ſic ſpectatæ ab ejus ſpeciebus, quæ ſunt bonitas & malitia, abſtraxerim, ſicut ab homine & bruto communis animalitatis ratio ſolet abſtrahi; ceu ex compluribus locis dicti Art. 8. patet. Non ergo *idem omnino* celeberrimo oppoſui *Pufendorfio*, quod *Scoti* interpres contra ejus diſputat ſententiam. Viderit itaq; *Strimeſ.* quomodo neglectis legibus bonæ oppoſitionis *cum canonibus logicis in gratiam redire* velit. Inſtat equidem diſtinguendo p. 138. inter moralitatem *ſubjectivam & objectivam*, hanc contendens *valorem*, de quo quæritur, definire, non illam. *Regero*, inquit, *VALOREM dicere quidam moralitatem, ſed non eam, à qua agens moralis denominatur, id eſt quæ agentem præmio & pœna dignum efficit; ſed eam potiſſimum quæ rei ſeu objecto ineſt, idem innuente ipſo Zentgravio.* Verum non ego hoc (1) dico, quod valor, prout à bonitate & malitia ceu ſpeciebus inferioribus abſtrahit, *agentem perſonam præmio & pœna dignam efficiat*, cum hoc

ſit

ſit effectus bonitatis & malitiæ, à quibus ſpeciebus moralitatis differt, ſicut animal ab homine & bruto. Unde diſtinguendum inter *imputabile*, ut ſic, & imputabile ad laudem vel vituperium, illud conſequitur τὸ eſſe morale ut ſic, ejuſque cauſa eſt *valor*; hujus verò ratio eſt bonum & malum morale: quæ *Strimeſius* confundit. Deinde (2) etiam confunditur *morale abſolute* ſpectatum, cujus rationem formalem inveſtigatum ivimus, cum *morali modificato*, quatenus ſc. ſe habet vel ex parte agentis, vel ex parte objecti, hoc modo de Moralitate loquitur Clariſs. *Strimeſius*. Sive vero hoc, ſive illo modo affectum ſpectetur morale, in utroque reperitur ille valor, qui moralitatem conſtituit, ſed non in utroque eadem hujus valoris datur cauſſa. vid. diſquiſ. de Orig. art. 8. §. 26. & §. 37. Excipit, valorem, quem agenti ineſſe dixi, & ineſſe etiam, non improbante Dn. Cenſore, oſtendi, *gradus quidem moralitatis, de qua hoc loco ſolliciti ſumus, vel augere vel minuere, ipſum tamen formale moralitatis non exprimere*. Atqui (1) calor eſt forma calidi, hunc tamen intenſum ſc. vel remiſſum, gradus calidi augere, vel minuere, non eſt abſurdum. Dein (2) nego, ipſum *valorem* per ſe augere, vel minuere gradus moralitatis, cum ſit ipſa moralitas formaliter,

ter, quam auget vel minuit, quicquid eſt cauſa majoris vel minoris valoris. Quando vero *valorem moralitatem illam, à qua agens moralis denominatur, dicere* Idem negat, *cum actio in ſe & bona poſſit eſſe, & mala, indeq; dicto modo valida, propter quam tamen agens nec præmium, nec pœnam meretur, e. g. actio tam bona quam mala, cujus ignorantia, eaq; minus culpabilis cauſſa exiſtit;* non (1) noſtram ferit, ſed Baronis ſententiam, cui moralitas eſt *Bonitas aut malitia*, vid. *Bonav. Bar.* Curſ. Philoſ. Tom. III. fol. 182. Cum enim valorem ego non habeam pro nomine communi, quo duo hi conceptus contrahentes, Bonum ſc. & malum, exprimuntur, ſed pro conceptu univerſaliori & generico, ab omni moralitate, etiam ſubjectiva, abſtracto, hæc verba mihi opponi non poſſe manifeſtum eſt. Dico tamen (2), quod ſi actio ab agente per ignorantiam, quæ non eſt culpabilis, profecta fuerit, illa formaliter moralis non ſit, quicquid ſit de moralitate objectiva, quæ ſicut reſpicit rationem agentis practicam, vid. diſquiſit. p. 259. ita actus ab objecto moralitatem non accipit, niſi ab agente rationali & libero, ſciente item, profectus fuerit, vid. l. c. p. 270. Et quod (3) tale agens ex ignorantia minus culpabili, ob defectum hujus requiſiti, dum actus ejus non imperatur

ratur

tatur à voluntate, quæ conſequi debet delibera-tionem rationis, uti nón poteſt agens morale dici: ita (4) hoc nomine etiam tali agenti non ineſt ille *valor*, de quo loquimur. Pone aut (5) ſcientiam, & quod tale agens agat ex prævia & deliberata ratione, ſtatim in agente & in actione ejus deprehendes hunc valorem, & tale pondus, ut poſſit imputari ad aliquid, & quidem ſpeciatim ad laudem, ſi principia quæ valorem determinant convenienti ratione in actu concurrant; vel ad vituperium, ubi iſta incongrua & inconvenienti ratione fuerint unita. vid. Diſquiſ. de Orig. I. N. p. 185. ſeqq. ut proin (6) etiam agens ſicut bene & male, ita etiam *cum valore* egiſſe dici poſſit. Imo (7) tolle ab agente, & ejus actione, valorem, non erit ejus actio imputativa; pone autem eundem, ſtatim erit imputabilis. Fundamentum autem hujus valoris ſive moralitatis, prout ſc. ſe tenet ex parte agentis, eſt *Ratio proæretica*, ex qua proxime *valorem*, non Imputabilitatem, provenire exiſtimo. Alia mitto.

❧:)o(:☙

Verum

§.2. Verum enimvero Colophonem jam addideram vindiciis AntiPufendorfianis, cum Amicus exhiberet *Corollarium Antapologeticum* à *Doctiſſimo Strimeſio Corollario* huic *Apologetico oppoſitum*, quod, ut bona fide rem à me geri pateat, benivolo Lectori exhibendum duxi.

COROLLARIUM ANTAPOLOGETICUM.

ANno abhinc elapſo in *Orig. Moralib. Diſſert. IV.* quæſitum à me fuit, quænam Ratio Formalis Moralitatis, cumprimis Subjectivæ, haberi debeat, id eſt ejus, quæ Subjectum ſeu Agens Morale denominat. Ubi luſtratis Scholaſticorum ſententiis eorum mihi arriſit opinio, qui dictam Moralitatem per Imputabilitatem interpretantur, à proæreſi proximè provenientem. Cùm verò huic tum Veterum quorundam, tum *Celeberr. Pufendorfii* ſententiæ maximè à *Bonaventura Barone* opponi adverterem: dari conceptum Imputabilitate priorem, quod ipſum à Viro *Clar. Dn. Ioh. Ioach. Zentgravio Phil. Pract. Prof. Argentoratenſi*, hiſce repetitum legebam: *Nobis Imputabilitas* Tò *Moralè potiùs conſequi, ceu Adfectio, quàm illud ceu Formale conſtituere videtur. De Orig. Iur. Natur. p.* 242. Operæ pretium duxi, Telum præviſum elidere; & quid præterea de Conceptibus Mo-

 ralitatis

ralitatis, à memoratis Autoribus adinventis, & Imputativitatis loco ſuggeſtis, cenſeri debeat, verbo aperire.

Ceterum idem de utriusque Conceptu Judicium ferendum erat, nempe nec Bonitatem & Malitiam *Baronis*, nec Valorem Dn. *Zentgravii* Moralitatis Subjectivæ Formale, de quo agebatur, attingere, ſed ad Moralitatem Objectivam potius pertinere. Non ſuſtinuit judicium hoc prædictus *Profeſſor Argentoratenſis*, verùm eidem *Corollario Apologeticò ad Diſp. I. Diſquiſ. de Orig. Iur. Gent.* ita occurrendum putavit: *Atqui*, inquit, (1.) *quæritur, quænam ſit ratio Formalis τȣ̃ Eſſe Moralis, præcisè & genericè ſpectati, & prout de Moralitate tam Subjectiva ſive agentis, quàm Objectiva abſtrahit, non verò determinate, in quo conſiſtat Moralitas Subjectiva ſive Agentis Moralis: Ita verò diſputat Clariſſ. Strimeſius.* (2.) *Baro Rationem à priori Imputativitatis dicit eſſe Bonitatem & Malitiam, quod ego nego, ceu qui diſtinguo inter Imputativitatem præcisè itemq; abſolutè, & determinatè, ſive cum modo, prout ſcilicet eſt vel ad Laudem, vel ad Vituperium, ſpectatam: Illius Ratio eſt Valor ille, de quo loquimur; hujus Bonitas & Malitia.* Atqui inquam ego, ad (1.) quæritur (*a*) de iſtius Moralitatis Formali, de cujus Formali *Celeb. Pufendorfius* cum Autoribus

penè

penè omnibus quærit, hic verò quærit de Moralitatis Formali, *à quo agens Moralitatis Denominationem participat, de Iur. Nat. & Gent. L. I. C. 5. §. 3. p.* 61. Quodſi autem *Clar. Dn. Zentgravius* de alio Moralitatis Formali ſollicitus eſt, qui *Puſendorfii* Imputativitatem ceu ſpurium Formale ſemotum it? *(b)* quæritur de Moralitate à Moraliſtis recepta & poſſibili; ſed Moralitas à Subjectiva & Objectiva, ceu Genus, abſtracta, cum inaudita eſt, tum planè impoſſibilis, Moralitatibus, à quibus Abſtractio intenditur, prorſus Heterogeneis, uni eidemque Generi Proximo hautſubjicibilibus, indeque non per Synonymicum conceptum, ſed ſolum Æquivocum abſtrahibilibus. 2. *Zentgràvio* cum *Barone* arctiorem conſenſum intercedere oſtendit, quàm vel ego ſuſpicatus fueram, vel *Dn. Zentgravius* admittere geſtit. Enimverò, Moralitatis, præcisè acceptæ, Rationem à Priori *Clariſſ. Vir* Valorem conſtituit; cum modo autem Habitudinis ad Laudem & Vituperium, Bonitatem & Malitiam. Hoc verò pacto cum *Barone* nolens volens tantum non per omnia conſpirat, qui itidem de quadam tantum Moralitate, per Modum Laudis & Vituperii modificata, agit, non vero de Moralitate, à Subjectiva & Objectiva abſtracta, *Baroni* prorſus incognita.

Pergit *Vir. Clariſs.* & me falli auguratur, *quando exiſtimo, eum duos Conceptus, Moralitatem dividentes, Bonitatem nempe & Malitiam ad unum Valorem revocaſſe, cum non duas has τȣ̃ Eſſe Moralis differentias dividentes* NB. *uno nomine expreſſum iverit, ſed Conceptum Genericum ab ejus ſpeciebus abſtraxerit, ſicut ab Homine & Bruto communis Animalitatis Ratio ſolet abſtrahi.* Quaſi verò, qui dicit, *Dn. Zentgravium* duos Conceptus ad unum revocaſſe, neget, ad Genericum revocaſſe, & dicat tantum NB. uno nomine eos expreſſum iviſſe. Ceterum (quod tamen pace *Viri Optimi* dixero) fallitur potius ipſe, cum exiſtimat, non idem oppoſitum eſſe à ſe *Puffendorfio*, quod à *Barone* ſententiæ eidem oppoſitum invenit: Nam Bonitas & Malitia dicuntur *Baroni* Imputabilitate priores, idem contendit *Zentgrav.* his verbis: *Niſi Actui, vel Objecto ejus Valor quidam inſit* (ſic Bonitatem & Malitiam ad Valorem revocans) *qui æſtimari queat, vel ad Laudem, vel ad Vituperium, Imputativitas non habebit locum, cum nihil ſit, quod imputari queat.* Itaque Valor juxta *Zentgravium* Ratio à Priore cur Actio imputetur, ſicut *Baroni* Bonitas & Malitia, ad Valorem à *Dno. Zentgravio* revocatæ. Uſque adeo, ut Canones Logici nulli reliqui ſint, *cum quibus, neglectis bona Oppoſitionis*

Legibus, in Gratiam redire vel velim, vel velle poſſim; oſtenſu vero facillimum ſit (dummodo hujusmodi aculeis pungere, vel mihi, vel ipſi volupe eſſet) quocum Dn. *Zentgravius* quam maxime redire in Gratiam neceſſe habeat, nempe ſecum ipſo, qui à ſe revera adſertum, rurſus tamen negat, Canonis omnium primi parum memor: Impoſſibile eſt, idem ſimul eſſe, & non eſſe.

Ad Rem potius ipſam cum *Viro Doctiſſimo* revertor. Admiſeram in meo de ejus ſententia Judicio, Valorem ab ipſo propinatum propugnatumque, dicere quidem Moralitatem, interim non eam, à qua agens denominatur Moralis, id eſt præmio & pœna dignus, ſed potius eam, quæ Rei ſeu Objecto ineſt, idque juxta propriam ejus Confeſſionem in *Diſquiſ. de Orig. Iur. Nat. Art.* 8. *§.* 9. *p. m.* 238. *collat. cum §.* 14. 16. *& ſeq.* Hiſce regerit ſequentia: *Verùm* inquit, *non ego hoc dico, quod Valor, prout à Bonitate & Malitia ceu ſpeciebus inferioribus abſtrahit, agentem Perſonam præmio & pœna dignam efficiat, cum hic ſit effectus Bonitatis & Malitiæ, à quibus ſpeciebus Moralitatis ipſa Moralitas differt, ſicut Animal ab Homine & Bruto. Reſp.* (a) Neque ego *Clariſſ. Viro* aſſertionem iſtam tribuo, ſed hanc ſolummodo, quam allegata ejus verba di-

ſerte loquuntur, *Valorem, qui eſſe Morale conſtituit, antecedenter ad actum Intellectus rei ineſſe.* (b) Niſi Valor Agentem re quapiam dignum efficit, tum ne quidem abſtractus eſt à Bonitate & Malitia, à quibus tamen abſtractus perhibetur. Bonitas dignum laude & præmio; Malitia dignum Vituperio & Pœna efficit Agentem, quæ dignitas, (ſeu Valor) per bonitatem ad Laudem, per Malitiam ad Vituperium contrahitur. Quemadmodum Animal infert ſenſitivum, & ad Rationalitatem, contractum, conſtituit Hominem, ad Irrationalitatem vero, conſtituit Brutum. Unde diſtinguendum quidem inter Imputabile ut ſic, & Imputabile ad Laudem vel Vituperium; (quæ etiam nemo diſtincte concipiens à me unquã confuſa adverterit) ſed hoc pacto nondum probatum eſt, Valorem, vel Formalem Rationem Moralitatis Subjectivæ, vel abſtractum Genus à Moralitate tam Subjectiva quàm Objectiva (abſtractum commune que Genus Proximum reſpuentibus) abſolvere. Diſtinguendum item, uti Autor 2. urget, *inter Morale in Genere, & Malitia modificatum,* Modis puta Contractivis, Bonitate & Malitia, quorum duorum confuſionem à me factam Dn. *Antagoniſta* pariter nunquam, niſi certè admodum confuſe, monſtraverit; Aſt interim

terim non ſic evictum, Valorem Moralitati, tam Subjectivæ, quàm Objectivæ, per Modum Generis ineſſe.

Excipit: me ipſum admiſiſſe, Valorem non Objectivæ tantum, ſed & Subjectivæ Moralitati ineſſe, utpote *in qua poſteriori Gradus augeat minuatve. Reſp.* (*a*) Admiſi ineſſe, ſed non per Modum Generis reſpectu utriusque nec per Modum Formalis Rationis, reſpectu prioris; ſed per Modum ejus, quod Gradus auget, vel minuit. Unde miratio ſubit animum, quorſum ſpectent *Clar. Zentgrav.* Reſponſiones, indirecta altera: *Calor eſt Forma Calidi, hunc tamen intenſum ſcil. vel remiſſum Gradus calidi augere, vel minuere, non eſt abſurdum*; Altera directa: *Nego ipſum Valorem augere vel minuere Gradus Moralitatis, cum ſit ipſa Moralitas Formaliter.* Enimvero prior Reſponſio tum demum Rem attigiſſet, ſi ipſi unquam à me conceſſum eſſet, Valorem Formam Moralitatis abſolvere, uti Calorem Calidi Formam appellamus. Quanquam præterea Tautologicæ prorſusque Identicæ enaſcantur Propoſitiones: Calidum intenſum auget Gradus Caloris, & Calidum Remiſſum Gradus minuit. Poſterior vero præterquam quod itidem à janua Exceptionis meæ aberrat, etiam (a) cum falſo Ratiocinio conflictatur,

quaſi Res ipſa Formaliter non poſſit inſimul Gradus augere, vel minuere, cum primis ſi Ethica ſit, & ex Gradibus tota conſtet. Certè Qualitas admittit magis & minus, ut maneat Qualitas Formaliter. (b) Propria Dn. *Zentgravii* vineta cædit: Quodſi enim Valor per ſe intenſus, vel remiſſus, nequidem auget vel minuit Gradus Moralitatis, quomodo per ſe ipſam Moralitatem, ex Gradibus conſtantem, Formaliter & totam conſtituet? Valorem autem intenſum & Remiſſum Gradus Moralitatis augere, vel minuere, non magis abſurdum, quam Calorem intenſum & remiſſum Gradus Calidi augere vel minuere. Tandem ipſam Rei arcem invadere pertendit *Clar. Apologiſta*, Rationem, qua Valorem Moralitatis Subjectivæ Formale haut eſſe edocueram, ſeptuplici Reſponſione eliſurus. Dixeram nempe, Actionem quandam dari in ſe vel Bonam, vel Malam, indeque certo Modo validam, quæ tamen Agentem neutiquam Moralem denominet, qualis eſt Actio, cujus Ignorantia minus culpabilis cauſa exiſtit. Regerit ille 1. Rationem noſtram non ſuam, „ſed ſolius *Bonaventuræ* ſententiam ferire 2. A„ctionem, per Ignorantiam minus culpabilem „patratam, Formaliter non eſſe Moralem. Pro„inde 3. nec Agenti ſuo Moralis appellationem

„tri-

„tribuere. Quod hoc ipſo 4. Valor ei haut
„inſit. E contrario vero 5. poſita ſcientia &
„deliberatione in Agente, Actioni Valorem,
„immo & 6. Agenti Denominationem ejus,qui
„cum Valore egit, conciliari. Uſqueadeo ut
„7. ſublato Valore ab Agente & ejus Actione,
„tollatur illico ab iisdem Imputativitas, vice ve-
„ro verſa, poſito Valore, eadem ponatur. Ex
„his denique omnibus confici innuit: Funda-
„mentum Valoris ſive Moralitatis Subjectivæ
„eſſe Proæreſin, ex qua proxime Valorem, non
vero Imputabilitatem venire exiſtimandum ve-
niat. Sed vero, ut ſicco pede tranſeam, nu-
merum Reſponſionum præter omnem Neceſ-
ſitatem multiplicari, quarum pondus hiſce tri-
bus continetur. (*a*) Rationem à me contra Va-
lorem (quominus is Moralitatis Subjectivæ
Formale exiſtat) allatam, Autori Valoris non
adverſari; Præprimis cum (*b*) Actio, per Igno-
rantiam minus culpabilem admiſſa, Moralis
haut evadat, nec Denominationem Moralitatis
cuiquam conferat. Contra vero (*c*) Valor ipſius
Imputativitatis Fundamentum ſit adæquatum,
quo ſtante conſiſtat immobilis, labante corrue-
re neceſſe habeat; *Reſp.* inſuper ad I. Rationem
noſtram Valoris Autorem eo ipſo ferire, quia
Bonaventuram ferit: Etenim ſi Ratio noſtra

(*Zentgravio* Judice) *Bonaventuram* propterea impugnat, quod is Moralitatem in Bonitate & Malitia collocat, utique & Autorem Valoris, qui Valorem pro Conceptu Generico omnis omnino Moralitatis, per conſequens Bonitatis & Malitiæ habet. Qui oppugnat Partem in *Barone*, ille oppugnat Totum in *Zentgravio*, reſpectu illius Partis. Nec eſt, cur iterato ingeminet, ſe Valorem non pro *Communi Nomine, quo duo hi Conceptus Contrahentes Bonum ſcil. & Malum exprimuntur; ſed pro Conceptu Vniverſaliori & Generico, ab omni Moralitate etiam Subjectiva, abſtracto habere:* Nam nec iſtius unquam â me poſtulatus eſt; nec Nomen Commune, quo duo Conceptus Contrahentes exprimuntur, à Conceptu Univerſali ita diſſidet, ut cum eo conciliari non poſſit. Quin potius Nomen commune reſpectu duorum Conceptuum Contrahentium, colligitur eſſe eorum Conceptus Univerſalis & Superior; Nec denique Ratio noſtra minus ferit Autorem ſi Valorem pro Univerſali Conceptu habeat, quàm ſi eundem Commune Nomen duorum Conceptuum Contrahentium velit eſſe. *Reſp.* ad II. denegare Moralitatem Actioni, per Ignorantiam minus culpabilem peractæ, repugnat Hypotheſi nobis communi de Objectiva & Subjectiva

Mora-

Moralitate, inter ſe diſtinctis. Perſpicuum præterea eſt, 1. Boni & Mali Naturam non ab Hominis Scientia Ignorantiave, ſed plerumque à Dei Natura & Voluntate arceſſendam. *Vid. Orig. noſtr. Mor. Diſſ.* 1. *&* 2. 2. Dari Ignorantiam non Facti tantum, ſed & Juris, non uno modo ut invincibilem, ita minus culpabilem. *Vid. Blaſium à Concept. Philoſoph. Mor. Diſſ. 7. Quæſt. 7. §.* 1. *Coll. cum Diſp. 9. Metaph. Quæſt.* 2. §. 1. Atque hæc ipſa Hypotheſis neceſſario quoque evincit, tum ſubeuntem hujuſmodi Actionem ex Agentium Moralium Numero non omnino deturbandum eſſe; Tum Actionem talem Valore omni haud quaquam deſtitui. Quanquam adhuc magis eadem evincantur per hypotheſin Dno. *Zentgravio* peculiarem, qua Valor omni Moralitati communis ſtatuitur, ut ita III. & IV. Reſponſum in auras abeant. V. VI. & VII. revera non feriunt ſententiam meam, qui utraque manu largior (a) ſcienter & deliberate Agenti Valorem competere. (b) ab hoc eundem cum Valore egiſſe dici poſſe. (c) Valorem cum Imputabilitate retrocurrere & æque late extendi, Conceſſis accedit prior Concluſionis Dni. *Zentgravii* pars, Moralitatis fundamentum Rationem Proæreticam conſtituens, id quod *Diſſert. mea IV.* ab ipſo notata, à §. 10. *ad fin. uſq.* prolixius

perſe-

perſecutns ſum; Pars autem Concluſionis poſterior, non Imputabilitatem, ſed Valorem proximè ex Progreſſi provenire ediſſerens, Petitionem Principii uſque incurrit, dum ſolidè probetur atque ſtabilitaur. Tantum.

§. 3. Ad rem itaque ſe denuo contra me gerendam accingens Dominus *Strimeſius*, cum repetiiſſet, *nec bonitatem & malitiam Baronis*, nec meum *Valorem*, *moralitatis ſubjectivæ* uti putat *forformale*, de quo à me quæri denuo contendit, *attingere, ſed ad moralitatem objectivam potius pertinere*; ad ea quæ in ſuperiori corollario ſententiæ meę cum illuſtrandæ, tum vindicandæ gratia dicta ſunt, mox ita excipit: *Atqui inquam ego, ad* (1) *quæritur* (a) *de iſtius moralitatis formali, de cujus formali Celeb. Pufendorf. cum Autoribus pene omnibus quærit, hic vero quærit de moralitatis Formali, à quo agens moralitatis denominationem participat*, de Jure Nat. & Gent. l.1.c.5.§.3. p.61. *Quod ſi autem de alio Moralitatis Formali ſollicitus ſim*, quærit, *qui Pufend. Imputabilitatem, ceu ſpurium formale ſemotum eam?* Sed diſputaturus contra me, *Clariſſ. Strimeſi*, (a) ex mea *diſquiſitione* potius, quam ex *Pufendorfio*, vel aliis, ſtatum controverſiæ formare debuiſſes, & potiſſimum meum potius reſpicere inſtitutum, quo theſin ponendi mihi libera relinquitur facultas, quam id quod ex occaſione factum eſt: Ita enim bonæ oppoſitionis leges jubent. In *Diſquiſ. de Orig. J. N.* vero *Art.* 8. §. 7.

8. §. 7. hæc extant: *Difficilius dictu videtur, in quonam formale ejus quod morale dicitur conſiſtat.* In §. ſequenti 8. ita legitur: *Qui ita definituri formale τὸ eſſe moralis* &c. ſic §. 10. agitur de *morali* in ea latitudine, ut τῷ *phyſico* contradiſtinguatur. §. 13. dicitur: *Nobis itaq; videtur τὸ* ***morale*** *ſecundum ſuum eſſe formale* in DEBITA LATITUDINE *conſiſtere* in VALORE. Quanta vero hæc latitudo ſit §. ſeq. 14. ita traditur: *Reſpicit hic valor, non tantum prout eſt in actu, ſed prout etiam ſe tenet ex parte objecti,* &c. Hæc verba ſatis oſtendunt, quod ſtatum formando non diſputaverim hoc præciſe & determinate, in quo *formale moralitatis ſubjectivæ* qua talis conſiſtat, ſed latius quæſtionem extenderim, ſecutus *Vaſquezium* t. I. in Thom. Diſp. 95. c. 10. n. 46. f. 650. *Philip. à Trinit.* in I. 2. Thom. t. 2. Diſp. 18. Dub. 1. Concluſ. & alios, qui itidem in tanta latitudine de moralitatis formali, quod tam in objectivam quam ſubjectivam moralitatem illis cadere dicitur, diſquirunt. Nec id (β) juvat Dn. *Strimeſii* cauſam, quod Dn. *Pufendorfii* ***Imputabilitatem ſemotum eam;*** una quippe fidelia duos ſæpenumero dealbari parietes non repugnat. Accedit quod, uti alias etiam fieri amat, in quo *eſſe morale* conſiſtat formaliter inquirens, hac occaſione aliorum etiam ſententias, preſſius licet philoſophentur, adductas examinare viſum fuerit; ex quo non recte intuleris, nec primariam laxius fuiſſe poſitam à me quæſtionem. Inſtat equidem: ***Quæritur de moralitate à Moraliſtis recepta & poſſibili: ſed moralitas à ſubjectiva & objectiva, ceu genus abſtracta, cum inaudita eſt, tum plane impoſſibilis, Moralitatibus, à quibus***

à quibus abſtractio intenditur, prorſus heterogeneus, uni eidemq; generi proximo haut ſubjicibilibus, indeq; non per ſynonymicum conceptum, ſed ſolum æquivocum abſtrahibilibus. Verum jam oſtendi Moralium Doctores Scholaſticos eandem mecum Philoſophari Philoſophiam; quanquam ſi vel maxime moralitas in iſta latitudine, quæ inter nos in diſceptationem cadit, illos fugeret, vel apud eos non recepta foret, id à me parum curaretur, cui magis amica & curæ veritas eſſet. Qui vero conceptus moralitatis non tam late patere queat, ut *præſcindat* ab omni moralitate modificata, qualis eſt ſubjective & objective talis; & tanquam *genus abſtrahat* à ſpeciebus inferioribus, quæ ſunt bonitas & malitia, nondum perſpicere poſſum: A *moralitate autem ſubjectiva & objectiva Moralitatem ceu genus abſtrahere*, uti Dn. *Strimeſ.* meam pervertit ſententiam, nunquam dixi. Communius enim & generalius, quod à contractiori & modificato præſcindit, hoc ipſo & qua tale nondum abſtrahit ceu genus à ſpeciebus. Non etiam magis *heterogeneæ* ſunt determinatæ & modificatæ hæ moralitates, *objectiva* ſcil. & *ſubjectiva*, reſpectu moralitatis abſolute & univerſaliter ſpectatæ, atque ſubſtantia & accidens naturam habent heterogeneam reſpectu Entis: vel modi adeſſentiæ ad ipſum eſſe alicubi. Cumque moralitates hæ, *ſubjectiva* & *objectiva* ſc. vere, non *æquivoce*, tales ſint, pervelim omnino ſcire, qui non ab illis conceptus *communis Synonymicus* abſtrahi queat, à quo viciſſim & illæ abſtrahantur, ſicut ſuperius & communius ab inferioribus & contractioribus,

ribus,

ribus, viciſſimque inferiora & contractiora ab illo præſcindunt.

§.3. Ad 2. excipit, quod mihi *cum Barone arctiorem conſenſum intercedere oſtendat, quam vel ipſe ſuſpicatus fuerat, vel ego admittere geſtio. Cum enim moralitatis præciſe acceptæ rationem à priori Valorem conſtituam, cum modo autem habitudinis ad laudem & vituperium, bonitatem & malitiam, hoc pacto cum Barone tantum non per omnia me conſpirare* ait, *qui itidem de quadam tantum moralitate per modum laudis & vituperii modificata agit, non vero de Moralitate, à ſubjectiva & objectiva abſtracta, Baroni prorſus incognita.* Sed quæſo, qui *cum Barone tantum non per omnia nolens volens* conſpirare dici queo? cum agam de moralitate in univerſali & abſolute ſpectata; itemque à ſubjectiva & objectiva præciſa, quam *Baroni* incognitam eſſe ipſe Dn. *Strimeſ.* concedit? quem de modificata loqui contendit. Cogitet *Vir optimus*, annon fallaciam à dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter commiſerit. Adde, quod ſi verum velimus fateri, licet ratio *Baronis* concludat de moralitate & imputabilitate modificata ad laudem vel vituperium, ipſi tamen de moralitate actus, ejusque imputabilitate in genere tantum ſermo ſit; vid. quæ à *Barone* diſputantur Tom. III. Curſ. Philoſ. fol. 182. §. *Dici poteſt* &c. usque ad n. 7. Taceo me nuſquam dixiſſe, *moralitatis præciſe acceptæ rationem à priori* eſſe *valorem:* ceu quem rationem formalem moralitatis, rationem

tionem autem à priori *Imputabilitatis præciſe & indeterminate ſpectata* expreſſe conſtitui.

§. 5. Pergit autem, & ex eo quod *dixerit*, me *duos conceptus moralitatem dividentes, Bonitatem & Malitiam, ad unum Valorem ſc. revocaſſe*, ſequi negat, à ſe *negari*, me eoſdem ad *genericum revocaſſe*, aut à ſe *dici, tantum uno nomine me eos expreſſum iviſſe.* Verum etſi non neceſſario ſequatur id ex vi verborum, quin tamen talis verborum Dn. *Strimeſii* etiam ſenſus eſſe, & ſub illis occultari poſſit, dubium non eſt. Unde non ſimpliciter locutus, *falli Vir. Clariſſimum* dixi, QUANDO *exiſtimat*; non vero dixi quod ſic exiſtimet. *Cæterum me falli potius ipſum* air, *cum exiſtimo non idem* (omnino ſc.) *oppoſitum eſſe à me Pufendorfio, quod à Barone ſententiæ eidem oppoſitum inveni.* Audiemus probationem: *Nam* inquit, *bonitas & malitia dicuntur Baroni Imputabilitate priores, item contendit Zentgravius his verbis: Niſi actui, vel objecto ejus valor quidam inſit,* (*ſic bonitatem & malitiam ad valorem revocans*) *qui æſtimari queat, vel ad laudem vel ad vituperium, imputativitas non habebit locum, cum nihil ſit, quod imputari queat. Itaq; Valor juxta Zentgravium ratio à priore, cur actio imputetur, ſicut Baroni bonitas & malitia, ad valorem à Dn. Zentgravio revocata.* Sed cum meam pervertat ſententiam *Strimeſius, bonitatem & malitiam ad valorem à me revocari* fingens, quem in *Corollario* meo *Apolog.* expreſſe *à bonitate & malitia abſtrahere* ſcripſi, cum

cum aliud ſit *valor ut ſic*, aliud *valor* talis & *modificatus*, uter noſtrum potius ſalli debeat dici, lectori dijudicandum relinquo. Proinde cum Imputabilitate ut ſic priorem dixerim valorem ut ſic, cum *Baroni* eandem valor talis, Bonitas ſc. & malitia, antecedere dicatur, relinquitur non *idem omnino* celeberrimo me oppoſuiſſe *Puſendorſio*, quod *Scoti* interpres contra ejus diſputavit ſententiam. Quare cum *à me aſſertum nunquam negaverim*, etiam non *neceſſe habeo mecum in gratiam redire*, cum ut quod jeci mutarem, oppoſita nondum evicerit ſententia.

§. 6. *Ad rem potius ipſam* mavult *Vir Clariſſ. mecum reverti*. Cumque Valorem moralitatem objectivam dicere, denuo conceſſiſſet, ad ea quæ in *Corollar.* ulterius repoſui, excipit ad (1.) quod (α) *etiam iſtam aſſertionem*, quam meam eſſe negavi, *mihi non tribuerit*, *ſed hanc ſolummodo*, *quam à me allegata mea verba diſerte loqui* ait, *Valorem*, *qui eſſe morale* (naturale ſc.) *conſtituit*, *antecedenter ad actum intellectus rei ineſſe*. Sed non video, quid ex his verbis pro ſua ſententia contra meam obtinere queat; vel aliquid probare poſſit, quod unquam negatum iverim. (β) Inſtat: *Niſi valor agentem re quapiam dignum efficit, tum ne quidem abſtractus eſt à bonitate & malitia, à quibus tamen abſtractus eſſe perhibetur. Bonitas dignum laude & præmio: malitia dignum vituperio & pœna efficit agentem, qua dignitas* (*ſeu valor*) *per bonitatem ad laudem, per malitiam ad vituperiũ contrahitur*. Atqui κατὰ βίαιον potius infero: Si valor agentem re quapiam dignum nõ efficit, ſequitur eum abſtractum eſſe à bonitate & malitia, quia bo-

 nitas

nitas ſemper dignum laude, malitia dignum vituperio efficit: Ad rem ipſam verò reſponſurus, dico, valorem agentem omnino re quapiam dignum efficere, ſed indeterminate, determinate vero ad laudem, quando ipſe valor per bonitatem fuerit contractus; item ad pœnam & vituperium, quando idem per malitiam fuerit definitus, *quemadmodum animal infert ſenſitivum, & ad rationalitatem contractum, conſtituit hominem, ad irrationalitatem vero conſtituit brutum.* (y) *Diſtinguendum* quidem concedit *inter imputabile ut ſic, & imputabile ad laudem vel vituperium;* (*quæ diſtincte concipiens* à Strimeſio quidem etiam diſtincte concipi poſſe non negat, in applicatione tamen ad præſentem quæſtionem ab eodem *confuſa* facile *adverterit*) *ſed hoc pacto nondum probatum eſſe* ait, *valorem, vel formalem rationem Moralitatis ſubjectivæ, vel abſtractum genus à Moralitate tam ſubjectiva quam objectiva,* (*abſtractum communeq́; genus proximum reſpuentibus*) *abſolvere.* Sed hæc nos non feriunt, cum ut ſupra monitum, quæſtio ſit de moralitate in ea latitudine, qua tam ſubjective quam objective tali competit; non vero prout illa ſe habet, vel ex parte objecti qua talis, multo minus dicitur illius ſpecies eſſe ſubjectiva moralitas. Quo ipſo etiam reſpondetur ad ea quæ (z) Dn. *Antagoniſta* repetit, quem ex modo dictis cum ſuis luctari umbris manifeſtum eſt.

§. 7. Explicat præterea, *quomodo admiſerit, valorem ſubjectivæ moralitati ineſſe, nimirum non per modum generis*, id quod nec ego dico; *nec per modum rationis formalis*; Atqui nec hoc à me ſtatui-

tur,

tur, qui dico, valorem eſſe rationem formalem τῦ *eſſe moralis* qua talis, non qua ſe moralitas habet vel ex parte ſubjecti, vel ex parte objecti, qua talis; quanquam utriusque moralitas qua talis in valore recte conſiſtere affirmetur; Sed *per modum ejus quod gradus auget vel minuit.* Cum vero hoc in *Corollar. Apol.* diſcuſſerim, ad examen ſe accingens *Clar. Strimeſius*: *Miratio* inquit, *ſubit animum, quorſum ſpectent Clar. Zentgravii reſponſiones, indirecta altera, altera directa.* Qui vero ſic? *Enimvero*, ait, *prior reſponſio tum demum rem attigiſſet, ſi ipſi unquam à me conceſſum eſſet, valorem formam moralitatis abſolvere, uti calorem calidi formam appellamus.* Sed cum *prior reſponſio* ſit facta per inſtantiam, ſatis rem attigiſſe cenſeri debet, cum oſtendat Dn. *Strimeſium* ex ſubordinatis facere oppoſita, & ex hoc quod *valor auget vel minuit moralitatis gradus*, non ſequi *ipſum formale moralitatis non exprimere*, & conſequenter hac exceptione *Virum Doctiſſimum* nihil contra me obtinere. *Tautologicas* quidem, *prorſusq; identicas propoſitiones enaſci* putat, ſi dicitur: *Calidum intenſum auget gradus caloris, & calidum remiſſum minuit*; verum in identitate prædicati cum ſubjecto, non reali tantum, ſed etiam nonnunquam rationis fundari veritatem propoſitionis, ſatis Logicorum docent regulæ. vid. *Slevogt* Diſſ. Acad. I. §. 11. ſeqq. Tautologia autem major in datis propoſitionibus non deprehenditur, quaſi ſi dico: Calidum calefacit; vel ſi dico: Vir juſtus juſte agit. vid. Ariſt. 5. Eth. c. 6. *Poſteriorem* reſponſionem à *janua exceptionis ſuæ*

quidem *aberrare* jactat, non vero oſtendit; quam dein etiam *cum falſo ratiocinio conflictari* ait, *quaſi res ipſa formaliter non poſſit inſimul gradus augere, vel minuere, cum primis ſi Ethica ſit, & ex gradibus tota conſtat.* Sed miratio animum ſubit, qui non obſervaverit *Clar. Antapologiſta* additum τὸ *per ſe.* Quanquam enim quod eſt forma poſſit ſuſcipere magis & minus, cumprimis ſi ex gradibus conſtat, & hactenus, licet ἀκύρως, dici queat formaliter *inſimul gradus augere vel minuere*, qua tamen forma præciſe audit, à tali intenſione & remiſſione abſtrahit. Formæ enim, etiam quæ ſunt accidentia, conſiſtunt ἐν ἀτόμῳ. ὄντα μίμησιν ἔχει τῶν ἀριθμῶν ait *Ariſtot.* 1. Metaph. 6. t. 6. Unde quanquam *qualitas admittat magis & minus, ut maneat qualitas formaliter*, & ſic diviſibilis ſit in partes graduales; magis tamen vel minus forma, ſi eſſe formale præciſe ſpectes, nihil amat vocari. Nam quod eſt forma magis intenſa, non ſtatim eſt magis forma. *Propria* dein mea *vineta* iſthæc mea poſterior ratio *cadere à Dn. Cenſore* fingitur. *Quod ſi enim valor per ſe intenſus vel remiſſus, ne quidem auget vel minuit gradus moralitatis, quomodo per ſe ipſam moralitatem, ex gradibus conſtantem, formaliter & totam conſtituet? Valorem autem intenſum & remiſſum gradus moralitatis augere vel minuere, non magis abſurdum, quam calorem intenſum & remiſſum gradus calidi augere vel minuere.* Noli verò quæſo, *Clariſſime Strimeſi*, alienam mihi affingere ſententiam, & exinde contrà me inſurgere. Ubi à me dictum ſit

doce,

doce, *valorem per ſe intenſum & remiſſum ne quidem augere vel minuere gradus moralitatis*, cum diſerte de valore præciſe ſpectato, & qua formæ tantum indolem habet, locutus fuerim: quo conſiderandi modo, uti valor plus & minus in *ſenſu formali*, quicquid ſit *de ſenſu identico*, ad quem jam non reſpicitur, non dicit; ita nec hoc ſenſu dici poteſt augere vel minuere gradus moralitatis. Cum vero valorem intendi & remitti non repugnet, licet non valor qua valor formaliter, tamen qua intenſus & remiſſus augebit vel minuet gradus moralitatis, ita ut unde provenit intenſio & remiſſio valoris, inde quoque etiam τὸ plus & minus in moralitate exoriri dici debeat. En verbo: A valore eſt moralitas formaliter; ab intenſione vel remiſſione valoris, augmentum vel diminutio moralitatis, ita ut quicquid eſt cauſa majoris vel minoris valoris, cauſa quoque ſit majoris vel minoris moralitatis. Quanquam etiam omnis valor certis gradibus conſtet, qua tamen ut forma præciſe ſpectatur, iſti gradus non conſiderantur.

§. 8. Tandem elidere conatur contra *ipſam rei arcem* directa, & *ſeptuplici* annotatione contenta, exiſtimans *numerum reſponſionū præter omnem neceſſitatē multiplicari, quarum pondus tribus tantū continetur*. Verum quanquam conciſiori dicendi genere nunquam nō uti malim, ubi tamen contra mentem meas perverti reſponſiones, vel non ſatis capi, vel inſidiosè ab adverſario latebras illarum beneficio ſibi quærente uſurpari experior, invitus prolixiori dicendi genere uti cogor; etſi ne ſic quidem ſæpe numero prævenire poſſim, quo minus tale quid mihi, etſi aliquando diffuſius mentem meam explicem, contingat, uti illa quæ cum Dn. *Strimeſio* mihi intercepit diſceptatio ſpeciminis loco eſſe poteſt. Ceterum rem ipſam quod concernit, Reſp. I. *Vir Doctiſſ. rationem ſuam* meum *Valorem eo ipſo ferire, quia Bonaventuram Baronem ferit. Etenim ſi ratio ipſius, me judice, Bonaventuram* *propterea impugnat, quod is moralitatem in bonitate & malitia collocat, utiq; & me, qui Valorem pro con-*

ceptu generico omnis omnino moralitatis , & per conſequens bonitatis & malitiæ habeo. Sed hic (α) inſidiosè omittitur τὸ *univerſaliori*, facta mentione ſollus *conceptus generici*, & additur τὸ *omnino*, quaſi & ſubjectiva & objectiva moralitas à me pro ſpeciebus quoq; moralitatis haberentur, quæ tamen modum tantum certum moralitatis mihi dicere judicantur, non ſpecies, quo numero bonitas & malitia veniunt;ut ſupra monui.(β)Si *Valorem habeo pro conceptu comuni & univerſaliori* moralitatis ſubjectivæ & objectivæ;*generico* item bonitatis & malitiæ, non eo ipſo me ferit, qui *Bonaventuram* propterea impugnat, quod is moralitatē in bonitate & malitia collocat.Quemadmodum enim qui oppugnat affirmantē animalitatē conſiſtere in rationalitate & irrationalitate,nō oppugnat eo ipſo illum, qui eandem in eſſe ſenſitivo poſitamcontendit;ita qui impugnat *Bonavent.*quod is moralitatem in bonitate & malitia collocat, non hoc ipſo ferit*Zentgrav.* qui *Valorem* rationem formalem genericam reſpectu bonitatis & malitiæ eſſe diſputat.Unde cadit quando additur : *Qui oppugnat partem in Barone,ille oppugnat totum in Zentgravio reſpectu illius partis*; num enim quod negatur de ſpecie, illico negatur de genere? Non ſic *Porphyrius* in Iſag. loquitur; non ſic *Ariſtoteles* diſputare docet. Cætera quæ proteſtationem Dn. *Strimeſii* continent,diſcuſſa ſunt. Quod vero ſubjicit, *rationem ſuam non minus* me *ferire, ſi valorem pro univerſali conceptu habeam,quā ſi eundem commune nomen duorum conceptuum contrahentium*,bonitatis ſc.& malitiæ *eſſe velim*,illius Ajo oppono meum Nego; cum *VALOR* præciſe actionem definite bonam vel malam non reddit,uti τὸ ſenſitivum animal nondum rationale vel irrationale determinate eſſe dicit; ut proinde cum inſigne aliquod diſcrimen intercedat inter valorem, ut notat conceptum communem& abſolutum,& prout eſt nomen duntaxat commune duorum conceptum inferiorum,& ſpecificatorum,non neceſſario illum evertat, ſi vel maxime in hoc evertendo felix fuerit *Strimeſius*.

§. 9. Ad II. Excipit *Vir Clariſſ.denegare moralitatem actioni per ignorantiam minus culpabilem peractæ, repugnare hypotheſi nobis communi de objectiva & ſubjectiva moralitate inter ſe diſtinctis* : Contra vero dico,hypotheſin hanc in ſe relinqui ſalvam,ſi vel maxime negetur, plenam & perfectam moralitatem,prout nimirum illa etiam ſe habet ex parte ſubjecti agentis, in actu aliquo exoriri. Quando verò *perſpicuum præterea* eſſe addit(1) *boni & mali naturam*

curam non ab hominis ſcientia ignorantiave, ſed plerumq; à Dei natura & voluntate arceſſendam. (2) *Dari ignorantiam non facti tantum, ſed & juris non uno modo ut invincibilem, ita minus culpabilem:* Verum equidem eſt quod, (1) attinet, quod diſcrimen boni & mali naturalis in Dei natura, non quidem qua omnipotens, quod *Socinianiſmum* ſpirat, ſed qua ſancta & juſta, fundetur; nec memini, me unquam *boni & mali* qua talis *naturam ab hominis ſcientia vel ignorantia* iviſſe derivatum; ſed quod ignorantia & ſcientia ad valorem, & ſic ad moralitatem, cujus ſpecies demum ſunt bonitas & malitia in genere morum talis, nihil conferat, exinde non ſequitur, & contrarium evicit noſtra *Diſqui.* l. c. (2) Alterum lubens concedo, ipſeq; ſic doceo, quod ſecundum gradus *ignorantiæ minus culpabilis*, etiam de gradibus moralitatis, prout illa ſe tenet ex parte agentis, judicari debeat. Unde patet quid habendum ſit, quando *Strimeſius* ulterius infert: *Atq; hac ipſa hypotheſis, neceſſario quoq; evincit, tum ſubeuntem hujusmodi actionem ex agentium moralium numero non omnino deturbandum eſſe: tum actionem talem valore omni haudquaquam deſtitui.* Sc. (ut diſtinctius, prolixius licet videri queat, rem explicem) ipſe modo conceſſi, ceu de quo non erat quæſtio, ſecundum gradus ignorantiæ minus culpabilis etiam de moralitate actionis, prout ex parte agentis illa ſe habet, judicium eſſe ferendum; ita ut ſi talis agens agat ex plena ignorantia ſimpliciter invincibili, ne quidem in *numerum agentium moralium* recipi debeat, ut non opus ſit eundem rurſus inde *deturbare.* Cum enim principium actionum moralium adæquatum ſit προαίρεσις, ceu eximie à *Rachelio* docetur ex *Ariſtot.* certe quæ actio principio moralitatis penitus deſtituitur, id quod contingit in ignorantia plena, antecedente & ſimpliciter invincibili, qui moralis appellari debeat formaliter, non apparet. Bene *Philippus à Trinitate* l. c. p. m. 342. *Ut actus dicitur moralis debet elici à principio morali*, ſc. cognoſcente & ſciente ſingulas actionis circumſtantias, & volente etiam; *Vel procedere modo morali*, ſc. ex προαιρέσεως, *Vel tendere in objectum morale*, hoc eſt cognitum. Nihil autem datur horũ, ubi plena & ſimpliciter invincibilis datur ignorantia: Et actio furioſi, noceat licet, non habet majorem valorem æſtimatione morali, quam bovis cornupetæ ex naturæ genio ferocientis. Ex quo patet, nihil pro ſe contra me habere Dn. *Strimeſium* ex eo, quod *valorem omni moralitati communem* rectè ſtatuam. Multo minus *in auras abeunt quæ* III. & IV. à me ſunt *reſponſa*, modo illa

ſecun-

ſecundum dicta,& neceſſario explicata intelligere,nec fumum vendere velit *Vir Clariſſimus*. V. VI. VII. à me notata *revera ſuam non ferire ſententiam*, ait, cum *utraq; manu largiatur*, *(a) ſcienter & deliberate agenti valorem competere*; *(b) ab hoc eundem cum valore egiſſe dici poſſe*, *(c) valorem cum imputabilitate retrocurrere & aque late extendi*; ſed vel maximè diſputata cum feriunt, modo ictum nō diſſimulet. Nam cum *ſcienter & deliberate agenti* iſte *valor competat* antecedenter ad Imputabilitatem, utique valor potius quam Imputabilitas pro formali, quod omni moralitati commune eſt, habebitur. *Retrocurrere etiam valor cum imputabilitate, & aque late extendi* dicitur, ſed uti ſubjectum reciprocatur cum proprio. Concedit etiam *partem Concluſionis* in Coroll. Apolog. à me poſitæ *priorem*; *partem autem concluſionis poſteriorem, non imputabilitatem, ſed valorem proxime ex Proæreſi provenire edisserentem, petitionem principii uſq; incurrere* credit, *dum ſolide probetur atq; ſtabiliatur*. Gratum vero eſt, quod hic tantum ſuperſit nodus, qui *Clariſ. Strimeſio* ſcrupulum movet, quo minus *Valorem* pro formali omnibus moralitatibus communi habere poſſit, quod ſc. *ex ratione proæretica proxime valorem* provenire nondum ſolide probatum videatur, cum in *Imputabilitate* potius id cadere ſibi perſuaſerit. Exiſtimo vero ego, ſcrupulum hunc non eſſe rationabilem, cum imputabilitatis rationem à priori eſſe valorem inde recte inferatur, quia valor, dignitas atque pondus, fundamentum proximum eſt imputabilitatis moralis. Sicut enim imputabilitatis ad laudem vel vituperium fundamentum eſt bonitas & malitia moralis: prius enim bonum & malum moraliter aliquid ſit neceſſe eſt, antequam imputetur ad laudem vel vituperium, fit enim hæc imputatio propter bonum & malum tanquã rationem, à priori: ita imputativitatis præciſæ ab imputativitate ad laudem, vel vituperium fundamentum eſt aliquid bono & malo commune, & ab his ſpeciebus abſtractum, quod eſt valor, qui ad bonum & malum ſe antecedenter habens, proxime eſt determinabilis ad has ſpecies τῦ eſſe moralis, prout principia quæ valorem determinant convenienti vel inconvenienti ratione in actu concurrunt, cum illo uniuntur. Nam ſi actio nihil valet, etiam nihil moraliter poterit imputari.

S. D. G.

99 951495

BIBLOS
Firenze